

Regiae et
epigrammata.

Nie pożycza się
do domu.



851



5560
CIMELIA


Poezye N° 2152

VIII. 3. 19 g

G. LOGI SILESII

AD INCLYTVM FERDINANDVM, PANNONIAE ET BOHEMIAE REGEM INVICTISSIMVM HENDECASYLLABI, ELEGIAE, ET EPIGRAMMATA.

1529
BIBLIOT. UNIV.
JAG. ELLONENSIS



G. VRSINVS VELIVS.

AVrea ut Auſonidæ legere poemata Logi
Admirati animis obſtupuere diu.
Atq; aliquis dixit de tot mirantibus unus,
Mars pater, et ſummi filia uirgo Iouis
Quid reliqui eſt? dudũ Germano ceſsimus armis,
Nunc dubia eloquñ eſt alea, & ingenñ.

BIBLIOTHECA
VNIV. IAGELL.
CRACOVIENSIS.
Cim. Qu. 5560
857. I.

INCLYTO ET MAGNANIMO FERDINANDO PANNONIAE ET Bohemiæ Regi inuictissimo.

CVm uertente hoc anno, inclyte atq; inuictissime Rex, in Moraviam prouintiam ab illustri Maiestate tua missus, munus & negotia mihi cõmissa obirem, atq; in grauissimam, & sane periculosam, quaq; in uita mihi sensi acerbius, ægritudinẽ incidissem, quæ hunc annũ ferme totũ me occupatũ tenuit, sæuissimeq; afflixit: ut tamẽ ex malis si quid inesset boni decerperem, tanquã ex infestissimo hoste fructum & utilitatem aliquã percepturus, non pauca per hoc inuisum & pernicioſissimũ ægritudinis otium partim composui & scripsi, partim uero iam antea inter occupationes & toties interruptum studiorũ meorũ cursum a me scripta, uerum inchoata adhuc & rudia, sub incudem quasi reuocãs, castigatiora & politiora reddere conatus sum. Postea uero quã ex tã diuturno morbo releuatus, etsi nondũ etiã satis confirmata ualetudine, Viennam uenissem, eo quidẽ proposito & uoluntate, ut recta ad Ma. T. ubicumq; illa esset inde contenderem, atq; amici & medici, nullo id pacto mihi cõmittendũ iudicarent, & sedulo pro se quisq; suaderent, ne tam imbecilli adhuc & affecta ualetudine, eo præsertim etiã tum anni tẽpore, quod in bene

affectis, rectęq; ualentibus corporibus, morbos excitare consueuisset, tam longũ iter ingrederer, sed quiescerem potius, & reliquias pernicioſiſſimi morbi, tanq̃ hoſtiũ perſequens, bonã ualetudinem curarem, ñdēq; dicerent, ſe ſatis confidere hanc meã ab aula T. Ma. abſentiam, cuius tã graues ac pene neceſſariæ cauſæ uiderẽtur, apud æquiſſimũ & clementiſſimũ Principem, mihi fraudi nõ futurã, eorũ itaq; ratiõibus & conſilijs inductus, Viennæ hactenus delitui, ubi cũ otio abundarem, & apud Vrſinũ Veliũ meũ, quem eximiæ uirtutis & arctiſſimæ amicitiæ cauſa nomino, maximã ſcriptorum meorũ partẽ inueniſſẽ, inſtituta uia incedẽs, qa oĩa nõ aliter atq; olim Sybillina folia diſiecta & temere diſperſa uidebãtur, in libellũ atq; ordinẽ certum quædã redegi. Quæ cũ Vrſino et Ioãni Roſino, ſpectatæ doctrinæ & uirtutis, acerrimiq; iudicij homínibus legẽda dediſſẽ, nẽq; illis diſplicerẽt, nihil minus q̃ hoc cogitantẽ, aut facere paratũ hortati ſunt ut æderẽ. Ego uero cũ id negarẽ, dicerẽq; rudia adhuc illa, ut ſunt, & impolita uideri, minimeq; digna quæ emitterẽtur, nõ deſtiterũt tamẽ illi hortari, inſtare, urgere deniq;. Itaq; me inepte facturũ exiſtimaui, ſi taliũ uirorũ cõſilio & uolũtati diutius repugnaſsem, autoritate eorũ perſuaſus, ad editionẽ animũ appuli, neq; hoc cõtentus, audacius inſuper facinus deſignaui, neq; ueritus ſum has meas ine-

ptias inclytæ Ma. T. dicatas emittere, in quo tãto onere sustinẽdo magnopere mihi æquanimitate illa M. T. & uere regia uirtute opus est. Itaq; q̃ maximis possũ precibus, hoc a Ma. T. cõtẽdo, ut hãc meã sedulitatẽ, qualẽcunq; quidẽ, officiosam certe, & ab optimo animo & Ma. T. studiosiss: profectã, boni consulere uelit, & libello huic meo se patronũ & tanq̃ numen tutelare aliquod præstare nõ dedignetur. Etsi in maximo summarũ rerũ et bellorũ apparatu, dñs et hominib. probãtibus riteq; faũetibus, Ma. T. summa cũ laude et gloria omniũq; admiratiõe uersetur, cũ tamen Minerua eadẽ sit et sanguinolẽti belli et literarũ patrõa, sinat et hãc inter uictrices hederã tibi serpere lauros. Volui qp̃pe et hoc extare meæ erga inclytã Ma. T. obseruãtiæ, et calamitosissimi otij mei qualecũq; testimoniũ. Quod si aliquãdo, ac tandẽ plus otij, quod hactenus infeliciter semper, et nullo successu molior, mihi Ma. T. immortali beneficio contigerit, ut in omnib. uotis et summo desyderio mihi expetitã Italiã redire, et interceptũ fataliũ tẽporũ perturbatiõe studiorũ meorũ cursum persequi mihi liceat, perfectiora deinde fortassis, et Ma. T. amplitudine digniora mẽ spero exhibiturũ. Deus opt. max. Ma. T. saluã semperq; uictorẽ esse uelit. Viennæ Pannoniæ X. Maij M. D. XXIX.

Sacræ Maiestatis tuæ

Deditiss. aulicus

G. Logus Silesius.

AD FERDINANDVM PANNONIAE ET BOHEMIAE REGEM.

CVi nouum, tenerum, & modo expolitum,
Muſæ, cui rogo dedicem libellum?
Sic eſt, magnanimi fauore regis,
Regis magnanimiq;, Palladiſque
Ibit tutior omnium per ora
Felix, alite, ſydere & ſecundo
Noſter, qualubet, ut lubet, libellus.
At tu, Martis opus licet ſuperbi,
Et magnos meditere nunc triumphos,
Intentiſſima cura dum tuum cor
In graues modo cogitationes
Pro omnium exagitat ſalute, quæſo
O Rex maxime, numine hunc benigno,
Illo numine, lumine & ſereno
Sacratum aſpicias tibi libellum.
Sic diuum pater, & patrona uirgo
Adſint egregio tuo labori,
Regnatorem Aſiæ, Helladoſque magnæ, ut
Dñi magni horribilem & ferum tyrannum,
Euertas cito fulminante bello.

AD EVNDEM.

MAgnanime o iuuenis Rex alto a ſanguine re(gũ,
Cui genus a ſuperis Cæſaribuſq; uenit.
Palladis armiſonæ quia nam uirtute potenti
Et ſtudia, atq; animos, & decus omne tenes.
Quæ tibi uictrici, ſemper comes addita, lauru
Cingit honoratum diua ſuperba caput,
Cum ueſtro in terris non ſit præſentius ullum,
Quod uotis nautæ per maria alta colant,
Et mea, Peliaco ceu quondam e uertice pinus
Quæ cœlum exornant ſydere conſpicuo,
Cymba, pererrato poſt multa pericula ponto,
Pallados, atq; tuo numine, tuta uolet.

IO. ROSINVS AD G. LOGVM.

ORo candide Loge, nẽ benigni
Fœtus ingenij tui perennes
Tamdiu clauſo ſinu coherce.
Rupto compede, uinculis ſolutis
Auelli ſine, libere uagari
Doctorum libet ora per uirorum.
Ingens per Latium, per & togatos
Felici pede Romuli nepotes,
Qua Thuſcus rigat amnis arua, quaq;

Almos Eridanus sinu capaci
Diffundit latices, agrosque dulci
Rex uligine temperat feraces,
Et qua nominis inclytum Latini
Auditur decus, auolent licebit
Fœtus ingenij tui perennes,
Maturi satis, & satis uenusti.

IDEM.

VT quæ Phidiaca manu polita
Illustri cupiunt loco uideri,
Vt matura uiro, pudica uirgo
Dilectæ e gremio auolare matris
Dilecti in gremium cupit mariti,
Sic tincti salibus, facetijsq;,
Et culti satis aurei libelli
Spectari cupiunt, uolunt probari,
Indigni tenebris premi, situq;.
Ergo desine iam molestus esse,
Oram solue, animæ tenent ferentes,
Commissam moderabitur carinam
Flauæ Palladis, & nouem sororum
Aspirans fauor, & nepos Atlantis.

AD EVNDEM.

QVid est? nonne uereberis lepores,
Et dulces Veneris tenere amores?
Dura compede tu ne compeditos
Suas delitias negare matri
Audebis? Charitum decenter omnes
Comptos muneribus, polituloſq;,
Crudelis, satis, & diu tulerunt
Acris iudicij moras, lituras,
Compsisti bene, iam foras abire
Ad matrem sine, ne det illa dicam
Diuum ad concilium poeticorum.
Mater, lædere sed caue, Dione est,
Quæ sanctũ Idalium, Cyprum, Paphũq;,
Quæ Colchos, Cythereiumq; littus,
Piscosam Gnidon, æriosque apertos,
Quæq; Dyrachium tenet, metallis
Nobilemq; Amathunta, quæq; diuum
Quiduis concilio potest, perurit,
Omniumq; animos trahit, rapitq;.
Ergo corpore dum licet potentis
Effugisse, deæ minas, malumq;
Declina, Veneri suos amores,
Tua nunc opera, tua Minerua
Castos, candidulos, polituloſq;,

Et ſuos Veneri foras lepores
Ornatos numeris Catullianis
Dimiſſos ſine prodeant beati,
Et per Mercurialium uirorum
Cœtus præpetibus ferantur alis,
Dignos artifici ferant honores,
Et quos nulla abolere poſſit ætas,
Et quos tempus edax domare nunquam
Sæclorum ſerie queat perenni.

IO. ROSINO.

COnceſſi tibi mi Roſine, & iſtum
Qualemcunque quidem ædidi libellum,
Fretus conſilio, tuoque ſuaſu,
Illo & iudicio tuo eleganti,
Multorum & ſtudio, & tuo rogatu.
Incultum, illepidum, et parum politũ,
Nec dignum auribus elegantiorum,
Dignum rite premi, bonaque lima,
Et rudem nimis ædidi libellum.
Negaui fateor tibi uolenti,
Inſtanti tibi ſæpius negaui,
Non poſſum nimium diu negare
Conſtanter tibi et uſque conſulenti,
Suadenti tibi amice, Velioque

Docto, atque egregio, inclyto & poetæ,
Scriptori historiarum et eloquenti,
Intimo simul utriusque amico,
Cuius, ceu foret ore missa Phœbi,
Oraclo aut Iouis usque ab æstuosi,
Excitus lepida allocutione,
Illi quam Charites, bonæque Musæ
Afflarunt, quibus ille sacra quondam
Fecit alite, numine et secundo.
Hac tandē ille animum impulit morantē,
Cunctantēque diu, et nimis uerentem.
Verum quicquid erit boni, maliue,
Vos præstabitis, ista culpa uestra est,
Per quos non licet hæc magis latere,
Et quibus potui nihil negare.
Fœcundū hoc modo sæculū librorū est,
Nemo non aliquid facit, uel ædit,
Et contagio me quoque ista læsit,
Morsus a rabida cane uelut sim,
Sic libros cumulant libris, et ingens
Aedendi scabies habet poetas,
Nec uates agitat modo illa, morbo
Scriptorum omne genus sed hoc laborat.

IN GRATIAM STANISLAI TVRSONIS EPISCOPI Olomuncensis in principio Ianuarij.

ANni Iane bifrons fator fugacis,
Quo clauſo trepidi ſilent tumultus,
Silent claſſica rauca, non Enyo,
Inſanuſque furor bonam quietem
Turbant, impia bella ſed te aperto
Incumbunt uiolentius per orbem.
Iam tandem cohibe impios furores,
Et clauſus maneas, diu & cupitam
Pacem affer populis, quibus ſacratas
Chriſti relligio dat alma leges.
His ciuilia uallibus ſilentum
Proſcribas age prelia, & tumultus
Componas nimiũ heu graues, furorq;
Super ſæua ſedens ſceleſtus arma,
Vinctus mille ſed undique ipſe nodis
Ahenis, furiat tremendum, & ore
Inſultans fremat horridus cruento.
Hunc cum ſe fuerit ligatus ipſo
Factus ſæuior, horridum, & minantem,
Duris undique uinculis ſolutum,
In feros age, conciteſque Turcas.

MI Saure optime, tuq; mi Salixi,
Docti, Iuppiter, & uiri absoluti.
Tuq; Promnitiane mi diserte,
Nostri lumina quæ ordinis superba.
Meczlere inclyte iuris explicator,
Astreæ, Themidosq; cultor almæ,
Præstans eloquium utriusq; linguæ
Afflauit bene cui nepos Atlantis.
Modestissime Lange, & erudite
Vincenti, egregñ mei sodales.
Quam bene est mihi cũ meis amicis.
Vrsinoq; meo, & meo Rosino.
Quam mecum bene conuenit & illis.
Nimirum studia una nos, amorq;
Vsq; conciliant, & usq;, & usq;,
Et uirtus adamantinis cathenis
Connectit lepidam sodalitatem,
Cultores socios nouem sororum,
Romanæ simul, Atticæ & Mineruæ.
Non hic quam ille minus laborioſus
Arma Principis, & uias secuti,
Vno huic ut domino usq; seruiamus,
Aula in sollicita, & laboriosa
Quamuis rege sub optimo, & benigno,

Post decisa negotia ad suetum
Reditur studium, elegantiasq;,
Dum nos altus amor tenet dearum
Sanctum quæq; Helicona, quæq; amœnũ
Pindum, & Pierios colunt recessus,
Parnassi iuga quæ tenent, & Hæmi
Florentis iuga, quæq; per Hymeti
Exultant beneolentibus in hortis,
Hinc in Castalia lauantur unda,
Quæ auro splendidius nitet, nitroq;.
Nõ hic quam ille magis adhuc miselli,
Fortunæ & nimium sumus malignæ,
Vrsino licet æquior merenti est.
Quam bene est mihi cũ bonis amicis.

THOMAE NADASDENO.

QVod sancto cineri senis uerendi,
Nadasdene, & habes pios honores,
Atq; ornas tumulum tui propinqui,
Et forsan meritis pñ parentis,
Dum curas memori diu in sepulchro,
Et natum ingenio sacro, & perenni,
Et fama, & decus, inclytumq; nomen,
Aeternum ut uigeant senis beati,
Rem dignam facis, inclytoq; honore

Nadaſdene tuo, & tui propinqui,
Quamq; omnis ſciet, & probabit ætas,
Quamuis munere fungeris inani,
Nec fructus meritum hoc ſequatur ullus.
Extinctum qui amat ille uere amauit.

VENCESLAO VILHARTIO.

INgrata es nimium Thalia, certe
Ingrata es nimium, nimiſq; iniqua
Certe uſq; offitium tuum ſodales
Laudarunt, memini, meiq; amici,
Cordis dimidium, meæq; uitæ,
Omnes quos colere uſq;, & uſq;, & uſq;,
Queis cum ludere, & uſq; quos polito
In cœlum ſolita es uocare uerſu.
Quid fecit rogo? quid mali eſt locutus
Venceslaus? an hoc pudet, pigetq;,
Noſter candidus, unicuſq; amicus,
Feſtiuus, bonus, omnibuſq; amandus,
Sagaxq;, & ſapiens, & eruditus?
Sic eſt, ebruuit, piget, pudetq;,
Sic eſt, nam tenera hæc tibi, & pudica
Erumpit rubor igneus per ora,
Rubor purpureuſq;, conſciuſq;.
Noſter unicus, optimuſq; amicus,

Quem unum præfero millibus trecentis,
Virtute, ingenio, eruditione,
Fide, dexteritate, moribusq;,
Festiuis, bene comibus, benignis,
Qui multum puerilibusq; ab annis
Ornauit, coluitq; nos amice,
Et nunc usq; amat, & colit, fouetq;.
Hoc semel licet auferes inultum.
Imprudentia nam malum hoc, pudorq;,
Excusat patria atque inepta factum.
Ergo pone metum, sed heus Thalia
Dilatum nimium inde, debitumq; huic,
Persoluas cumulatius honorem.

AD LVSIELLAM.

AMabo mea chara Lusiella,
Comis, læta, decens, uenusta, blanda,
Mitis scita, benigna, delicata,
Nunc me amplectere candidis lacertis,
Proceras ederæ solent ut ulmos,
Lasciuasque imitata da columbas
Mitis, basia mi subinde mille,
In me spiritus & tuus uagetur,
Atq; in te meus, omnibus medullis,
Quo nil dulcius est, suauiusq;,

Felix Salmacis & puer beatus,
Quibus delitiæ manent perennes.
O quis te mihi blanda Lusiella
Iungat perpetuo deus, quis oro?
Vt quondam facilis deæ roganti
Coniunxit puerum deus cupitum,
Sed gratum fuerat modo hoc puellæ,
Ingratum puero, sed hoc futurum est
Tam gratum mihi, quam meæ puellæ.
Felices ideo deos putamus
Aeternis quia gaudijs fruuntur,
Nec ulli impediunt eos dolores.
Si iungar tibi scita Lusiella,
Et cœlum, & superi ualete diui,
Sit cœlum mihi scita Lusiella.

STEPHANO BRODERICO.

LOgi delitiæ tui Thalia,
Et solaciolum, unica & uoluptas,
Tantum mi teneris amata ab annis,
Quantum nemo oculos suos amauit,
Vel si quid magis est amandum ocellis.
Vir est unicus ex meis amicis,
Nobilis, sapiens, & eruditus,
Syncerus, bonus, integer, benignus,

Qui te deperit usque fido amore,
Et quem tu redamas fideli amore.
Sed quid nam tenerum Thalia rides?
Florentis iuga sic amœna Pindi
Gaudenti beneolentibus coronis
Flores sufficiant tibi perennes,
Modo quem tenui uocas susurro
Ille est optimus ille Brodericus.
Hunc tu per Genium suum, meumq;
Roga per Iouium, & suum, meumq;,
Vt præstet mihi cum suis amicis
Isdem, & præcipuis meis amicis,
Doctis, nobilibusque, maximisq;,
Zolcano patre, & optimo Barone,
Laxanoq; meo probo, & sagaci,
Affiniq; meo, intimoq; amico,
Vt me restituant tibi, mihi te.
Hoc tandem efficiet, suiq; amici,
In uotis modo si meis quod unum est
Curarint subito, simul beatæ
Romæ, ut restituar suæ, meæq;.
Romæ quo melius, beatiusque
Nil Phœb usq;, sororq; dia cœlo
Illustrant radijs suis ab alto.
Sed quæ digna satis Thalia quæso
Nos pro munere dic uenusta tanto

Auro & præmia comparanda nullo
Reddemus? placet, & decebit illum,
Gratiq;, & memores uterque cultis
Vsque ad sydera uersibus feremus.

IN IOANNEM ZAPOLIENSEM, REGNVM PANnoniæ per uim & scelus affectantem.

QVis hoc queat uidere, qs pati scelus?
Nisi & sceleſtus, omniumq; peſſimus,
Quot altus ore sol tuetur aureo.
Latronẽ habere regna Pæonum inclyta,
Et inuolaſſe sceptra Regis optumi.
An ille Ferdinandus hoc feret scelus?
Non eſſet ille Cæsaris sacri genus,
Non eſſet ille fortis alter Hercules,
Domare monſtra qui soleret impia.
Eo ne nomine, o nefande proditor,
In illa amœna Saxonum colonia,
Iugum subacta quæ nimis tulit graue,
Fuiſti, ut inde nempe pretor impotens
Per has auarus ut paraueras opes,
Malas per artes, & malis uafer dolis,
Modis nefandis improbe ambires tuum

Corona regia impium ut tegat caput?
Et hocce iustus an deus ferat nefas?
Et hocce totus orbis an ferat scelus?
Non esset hic, & ille iustus, & bonus.
Quid est? an hæc nefanda latronũ domus
Origo cuius atque nobile est genus,
Auus, paterque ab ultimo usque sanguine
Et hic, & ille, & iste cerdo sordidus,
Parũ an patrauit & domi, & foris mali?
Paterna furta nota scimus omnibus,
Et hoc scietur usque, & usque, & undique,
Vt ille prædo regias uehens opes
Rapinam agebat, hanc scit Ister aurifer,
Suo fuisse qui latronem in æquore,
Fugam dedisse perque liquidas uias
Fatetur, altis ingemens doloribus.
Et hocce Ferdinandus an feret scelus?
Sed extat ille Cæsaris genus sacri,
Sed est, eritque fortis alter Hercules,
Domare monstra quippe nouit horrida.
Quid hũc fouetis? probi, aut qd hic potest,
Quid iste cerdo, semiuir quid impotens,
Nisi ante cunctis ire proditoribus,
Quos altus ore sol tuetur aureo?
Hac arte quippe regna, regis & caput,
Paterque, & ipse perdidistis impie.

AD IOANNEM MATTHEVM GIBERTVM EPISCOPUM Veronensem.

EGenti mihi quod lubens benigne
Feciſti, auxilium & lubens meis in
Anguſtis mihi rebus attuliſti,
Dignas nunc tibi gratias referre
Noſtræ non opis eſt, boni rependent
Actutum omnia Dñ tibi, atque uirtus,
Quæ totum tua peruolauit orbem.
Hoc ſatis fuerit modo, quod unum
Poſſum, nulla dies mihi, nec æuum
Nomen ex animo tuum reuellet.
Siue annos Pylij ſenis uidebo,
Cornicisq; ſimul, ſeniſue cerui,
Siue ego Elyſium petam beatum
Veris perpetui colens honores,
Seu ciuis liquidi ætheris uocabor,
Seu, quod nollẽ equidem malũ, uidebor
Sæui triſtia regna adire Ditis,
Quæ luctus tenet, & malũ omne regna,
Et diræ quoq;, fabulæq; manes.
Fabulas equidem putant uetuſti
Nonnulli, atque noui, bonos deos qui
Timent carnifices putare, & illos

Lætari ex hominum nẽgant dolore,
Autoresque magis putant bonorum,
Et causas homines mali sibi ipsis,
Bonis præmia nos, malisq; rectum est
Pœnas credere debitas inuri,
Infernasq; domus, & esse manes.
Doctis præmia uatibus sed ampla
Ante omnes superi tamen rependunt,
Quiq; hos muneribus suis honorant,
Sint grati modo, sint pñ poetæ,
Et ferant meritos in astra, sintq;
Illis qui faciant boni benigne.

AD VRSINVM SVVM

POetæ lepido suo sodali
Vrsino Logus, optimi poetæ
Horatñ, quem amat impotente amore,
Et uestigia cuius ille sacra
Passu iam prope consecutus æquo est,
Hoc diuinum opus, aureo in libello
Compacto ingenio, manuque docta
Ex magnæ Italiæ sinu, & beato
Quo uiuit modo Felsinæ recessu,
Dũ ille in Pannoniæ interim Vienna,
Et Musis bene gratus atque amicis

Doctis, ingenuis, & integellis,
Viuit suauiter ocio in beato,
Transmittit, memor huius usque, & usq;
In Pignus fidei, suique amoris.

CASPAR VRSINVS VELIVS LOGO SVO.

Disertissime cultor o sororum
Doctarum Loge, flos poeticorum
Quot nũc sunt hominum locorũ ubique,
Gratias agit optimo poetæ
Vrsinus tibi, qualis ipse cunque est,
Pro tam munere culto, & eleganti,
Formoso, aureoloque pro libello,
In quo uatis opus perenne sacri,
Quem cunctis habet ipse chariorem.
Verum siue ioco, aut amore multo
Factum est, ne uidearis indecenter
Ausus, nec bene Velium poetæ
Docto in carmine comparare tanto,
Quem nemo fuit ausus æmulari,
Et uestigia cuius ipse adoro,
Vt desint mihi cæteræ poetæ
Virtutes sapientis, ac rotundi,
Nunc & lumine lippiens utroquè,

Et collyria sustinens utroque,
Hoc saltem uitio, licet molesto,
Horati similis queam uideri.

IVSTO LVDOVICO DECIO.

MVsarum egregio, meoq; amico
Optarim Decio libelle dicas,
Quidam te rogat ex tuis poeta
Et meus dominus, tuusque cultor
Post negotia regis alta magni,
Gradiuiq; noui, & nouæ Diones,
Qui Martem Scythicum, Getasq; duros,
Frigidum ad Tanaim, atq; inhospitales
Summouit Boreæ rigentis oras.
Ast illam ingenio, & decore formæ,
Quando ipsam Venus, insolensq; Pallas,
Iunoque eximio inuidens honori
Lacessunt, deus arbiter rogatus
Curuæ Mercurius lyræ repertor,
Non pastor rudis ille, ineleganſq;,
Vnum prætulit omnibus deabus.
Quamuis sollicitæ inuolutus aulæ
Curarum undique fluctuesq; in undis
Ipse, atque ingenio sagax potenti

Tot res assidue utriusque tractes,
Martis Sarmatici, & nouæ Dionis,
Et molem hanc humeris tuis retentes,
Si quando grauis acquiescet ardor,
Et tristes cupies leuare curas,
Huic breui, illepido, & rudi libello,
Sed non usque adeo rudi libello,
(Nam te non adeo esse inelegantem
Nequicquam tacitus libelle clamas)
Qualicunq; quidem, bono, maloue,
Et mentem admoueas, manusque amicas,
Hoc tantũ, te aliquot uidere nugas
Logi ne pigeat, tui, meique,
Qui te, nam sibi uera nunciabis,
Colit, atque amat usque fido amore
Nunquam illum ex animo suo remittens.
Nam crescit magis, & magis, magisque,
Auctus offitijs bonis uicissim,
Mutuaq; fide, parique amore.

AD VINCENTIVM Hortensiũ.

VIncenti, niueus color benigne
Grato in corpore cui relucet, illum
Nascenti Venus alma, Gratiæq;
Afflarunt oculisque, & his capillis,

Nymphis Nirea qui decere amatum,
Dilectum & Veneri queant Adonim,
Narciſſumq;,& Apollinis comatum,
Nymphis raptū & Hylan, Iouiq; raptū.
Hæc inquam Venus alma, Gratiæq;
Afflarunt tibi candide o ſodalis,
Et quicquid ſuperum elegantiorum eſt.
Sunt hæc fluxa quidē,parumq; firma,
Autumni & folijs magis caduca.
Hæc morbus rapit,& grauis ſenecta,
Caſuſq; innumeri,atq; damna mille,
Non ingrata tamen , nec eleuanda,
Pulchro munere nam obtigere diuum.
Quin uotis magis expetenda multis.
Nam cunctos homines decent,& ornant.
Verum,ſi qua fides Logo,pudorq;,
Te longe ante alios decent,& ornant.
Hæc ſanctæ fidei,bonæq; mentis
Sunt certiſſima ſigna, pectoriſque,
Vel quali Oebalij fuere fratres,
Claro ſydera nunc repoſta cœlo,
Aut Ixionideſq;,Theſeuſque,
Nota quæ ſuperis fides,& imis,
Morum ſic tua amœna candidorum
Reſpondet ſeries tuo nitori.
Quare inter ueteres meos ſodales

Prælatus mihi millibus trecentis,
Vincenti optime, uincis unus omneis.

AD TVRSONEM.

TVrso, Verrius ille quẽ colebam,
Ille Verrius, omnibus patronis,
Quem tibi quoq; præferebam ineptus,
Ridet carmina noſtra auarus, & me
Scribæ poſtpoſuit, Priapus ille.

DE CATELLA MORTVA LYCINNAE.

O Quantum eſt hominũ elegantiorũ,
Nunc ueſtræ lachrymis genæ madeſcant,
Luctuſque ingeminate amariores.
Res eſt flebilis atque luctuoſa,
Dignaq; omnibus omnium querelis,
Quæ noſtræ modo contigit puellæ,
Quodq; acerbius, atque præter omnes
Dolendum mihi maxime eſt dolores,
Tanti heu cauſa mali ſum ego miſellus.
Namq; delitiæ meæ Lycinnæ,
Et ſolaciolum unicum catella,
Illa ſcita catella, quam Lycinna

Plus quam me, atq; meos amabat omnes,
Quam ſuis quoq; præferens ocellis
Semper in tenero ſinu fouebat,
Qua cum ludere, cui dare appetenti
Solebat digitum, leueſque morſus,
Latratus teneros & incitare.
Namque & blanda fuit, ſuamque norat
Illa tam dominam bene, atq; amabat,
Quam norat domina, atq; amabat illam,
Nec ſe unquam a dominæ ſinu mouebat,
Blande ſed ſaliens modo huc, modo illuc
Ludebat dominæ uſque blandiendo.
Mea at nunc opera (heu mea) miſella
Auarum ante diem ſubiuit orcum.
Nam forte ut iuuenum beatiorum
Vnum me facerem meæ puellæ,
Ex ſyluis ego cum feris moloſſis,
Venatu & rediens, pedem ferebam,
Infelix nimium malum, ad Lycinnæ
Formoſum thalamum, aureumq; limen,
Vt noſtro leporem labore partum
Velocem, huic rapidum ſimulq; ceruum
Donarem, comites feros Moloſſos,
Eheu ſydere peſſimo, & maligno
Ducebam miſer huc quoq; ipſe mecum.
Aſt illa e roſeo ſinu catellam

Dimisit subito, obuioq; gressu
Et prædam, atq; meos petebat una
Amplexus cupide, at canes catellam
Tenellam arripiuntq;, distrahuntq;
In partes rabidi interim minutas.
Actæon ego tunc fuisse uellem,
Vel nudæ fieri obuius Dianæ,
Et tales mage pertulisse morsus,
Tanti essem sibi causa ne doloris.
O factum male, nunc meæ Lycinnæ
Flendo purpurei rubent ocelli,
Quodq; acerbius est, amariusque,
Insontem facinus Lycinna ob istud
Iamq; odit mage, quã prius me amabat.
Hinc pœna crucior miser perenni,
In fletus abeoq; amarulentos,
Et Myrrhæ, Heliadum & simul sororũ,
Et quæ usque in Sypilo lapis madescit,
Vitam perpetuo ex eo ipse, luctu
Lachrymoso, ago lachrymosiorem.

IOANNI CORITIO.

COriti pater elegantiarum,
Et uatum pater, omnium & leporum
Custos unice, quotquot hoc in æuo

Luſerunt numero modo hoc, modo illo,
Docti Apollinis optimi poetæ
Pleni numine, numine & ſororum,
Quæ Pindi nemora incolunt, & Hæmi.
Inepte facis, & parum pudenter,
Qui tot delitias, ſales, iocoſque,
Tuis auribus, & tuo cachinno,
Et tantum tibi credis eſſe factas,
Et non omnibus omnium cachinnis,
Quot ſunt, quotquot erũt futuro in æuo,
Quæ tu, ut diuitias nitentis auri,
Niuoſa in Scythia, Indiaque toſta,
Formicæ atque Gryphes, foues auarus,
Vt cuſtos oculatus ille quondam,
Mutatæ fuit additus puellæ,
Lanæque aureolæ uigil Draco ille,
Maliſque aureolis uigil Draco ille.
Sed non hoc tibi ſic doloſe abibit.
Nam ſunt Mercurij mali, doloſiq;
Has qui delitias tibi inuolabunt.
Quare quicquid habes facetiarum
Dum res integra, dum licet uolenti,
Ohe iam ſatis eſt, libenter ede,
Ne poſt id facias tamen coactus.

NI plus dulci anima, meaque uita,
Quantum & nullus amabitur, te amarẽ,
Mi iucunde Quirine, factum ob iſtud
Odiſsem te odio graui merentem.
Nam quæ te mala mens in hos repente
Aegit præcipitem obſecro furores?
Dñ iſti dent mala multa acerba lenæ,
Quæ ſcortum tibi peſſima impudicum
Nuper proſtituit, tuoque peni.
Quis deus tibi, quæ maligna fata
Sic mentem eripuere? quæue Erynnis
Me tecum facit has mouere rixas?
Fabella an cupis eſſe inepta uulgi?
Num uis omnibus eſſe notus oro?
Eris, quandoquidem tuos amores
Cum noſtra uoluiſti amare pœna.
Oro ſi tibi forte non moleſtum eſt,
Demonſtres ubi ſunt tuæ latebræ.
Te quæſiuimus in domo tua, te
In foro, te in omnibus tabernis,
Te in templis ſuperum omnibus deorũ.
Quin omnes etiam rogaui amicos,
Cum quibus tamen eſſe te ſolere
Sæpe, & delitñs frui ſciebam.

At tu nusquã aderas neq; hic, nequè illic,
Non si Persea uincerem uolando,
Non si Mercurium leues per auras
Sublatus bene prætèrire posſem,
Medis siq; forem ocyor sagittis,
Non si Pegaseis nitens ab alis
Sublimis ferar aerem per altum,
Non te ego tamen inuenire posſem.
Tandem languidus ipse quæritando,
Et lassus quoq; in intimis medullis,
Sic domum redñ, tuoq; amori
Infensus, simul & tuis latebris,
Vt nec cœna mihi parata laute
Foret grata, nec optimi sodales,
Nec cantus, cytharæue me iuuarent,
Nec somnus animi leuamen ægri,
Sed tota irrequietus ipse nocte
Versabar miser, aureosque uultus
Auroræ cupñ uidere amœnæ,
Vt teq; alloquerer, simulq; ut essem,
Si te fors aliqua inuenire posſem.
Cum lassus tamen, & uigil iacerem
Hoc feci tibi carmen, ut dolorem
Nostrum perciperes, molestiamq;.
Sed te quærere iam laborioſi
Alcidæ labor est, laborq; Vlyssis.

Oro si tibi amice non molestum est,
Demonstres, ubi sunt tuæ latebræ.
Nam te candida detinet puella,
Quæ te urit miserum impotente flãma,
Quæ te deperit impotẽte amore.
Felix mutuus ignis & calores,
Felix quique & amas, amaris, ipse.
Sed tu per lepidæ puellæ ocellos,
Aut si quid magis est amandum ocellis,
Dæmonstres ubi sunt tuæ latebræ,
Riualem tibi neu putes paratum.
Non sic non soleo meos amicos,
Nec tibi inuideo, magis sed ipse
Admiror magis, & magis, magisque.
Si fidum tamen audies amicum,
Tandem pone modum tuo furori,
Edisti satis, & satis bibisti,
Amatus satis es, satisque amasti.
Iam tandem ad solitos redito mores,
Ac castus maneas, & intẽgellus,
Effrenem & Venerem, libidinesq;
Ohe iam satis est, precor coherce.
Ante omnes tamen improbã & scelestam
Lenam si sapis, & me amas caueto,
Cum Lena, & Veneris iugum superbæ.
Est fallax dea, ne fidem huic habeto,

IN IANVM ROMAM PETENTEM PROPTER PVELlã cui nomẽ erat Lepusculũ.

CVm te Iane Lepusculum uenustum
Tam longas faciat uias inire,
Et Romam tibi causa sit petendi,
In molli ut teneræ sinu puellæ
Et ludas simul ipse, pruriasque,
Captes delitiasque amœniores,
Num pennas tibi Persei uolantes
Optes, Mercurñ ue, Pegasiue?
Zetis ne, an Calais ne, Dedaliue?
An malles lepus esse, quo puellæ,
Quod sit illa lepusculum, uenustæ
Esses gratior ipse, chariorque,
Et cursu celeri, leuique motu
Inuisas teneram citus puellam?
Hoc tu ne facias, cauebis apte.
Ales nam Iouis impiger uolatu,
Immitis leporem rapit fugacem,
Et pennis superat pedes citatis.
Ne sis tam temerarius caueto,
Vt fias aquilæ rapina sæuæ.
Et nunc si sapies, deos rogabis,
In magni ut Iouis alitis figuram

Verſus per liquidum aerem ferare,
Altæ mœnia ſic beata Romæ
Continges citiusq; tutiuſq;.
Hic tu, ſed repetens tuam figuram,
Molli in gramine, floribuſq; cultis,
Et fontem prope perſtrepentis undæ,
In dulci teneræ ſinu puellæ
Sumes delitias amoris omnes.
Nam iunges roſeis labella labris,
Atq; ut Chaoniæ ſolent columbæ
Linguam purpureo tenens in ore
Educes animam beatiorem.
Hinc poſt delitias amoris omnes,
Poſt dulces Veneres, libidineſque,
Et luſus, leuibus nitens ab alis
Sublimem rapies celer puellam,
Et raptor modo factus ex rapina,
Venator lepidi lepuſculique,
Et prædam ſine retibus beatam
Nactus, qua libet hinc feres puellam.
Hoc tu cum facies, tamen caueto,
Ne corpus teneræ ſeces puellæ
Curuis unguibus, ore corneoue,
Dum tanges niueas amans papillas,
Aut dum ſumere baſium beatum,
Vel geſtis niueum femur, ſinumq;,

Pertractare nec abstinebis aptè.
Hinc felix simul, & beatus ipse,
Sumes delitias amoris omnes,
Carpes illecebras diu petitas,
Nec tam longa uia amplius petenda
Amanti, nec erit tibi uolandum,
Celsæ mœnia per superba Romæ.

IN EFEIGIEM P. BEMBI.

ALphonsus iuuenis in ære Bembi
Duxit effigiem bonus diserti,
Tam docte, atq; scienter, & uenuste,
Vt Bembus dubites sit hic ne, an ille.
Bembus ingenium sed eloquentis,
Tam bene est Ciceronis æmulatus,
Insculpsitq; animo suo illius uim,
Alphonsus faciem ut bonã ipse sculpsit.
Nunc ab auspicio bono profecta
Est industria & utriusque felix,
Quamuis gloria maior, altiorq;,
Quam sit effigiem, est referre mentem.

AD BERNARDVM AGLES EPISCOPVM TRIDENTINVM.

ALtera, magne pater, noſtri fœtura libelli
Te ſibi patronum flagitat ut faciam.
Nec putat iccirco promiſſo munere regem
Fraudari, ſi ſe dedicet illa tibi.
Rex ſacer ipſe etiã, rerũ ſub pondere feſſus,
Imponit humeris ſæpe onus omne tuis.
Alcidæ ueluti cœlum qui ſuſtinet Atlas.
Hinc Regi, atq; tibi, ſtet ſacer iſte liber.
Vos mihi nãq; eritis, dũ ſpiritus hos reget artus,
In terris merito, tu pater, ille deus.

PRECES AD DEVM.

OMnipotẽs genitor, cuius ſub numĩe cœlũ ẽ,
Quæ tua ſãcta domus, terras unde arduus oẽis,
Oceanumq; patrem, & gremio telluris in altæ
Victa tuis manibus ſæui regna horrida ditis
Deſpicis, imperioq; premis Rex magne potẽtí,
Omnia rite tuum quæ ſanctũ nomen adorent.
Dum terræ altricis, tenuis & ueſcimur auræ
Mũeribus, ſed fata manẽt nos certa, precam ur
Iam modo ſe acclinent nobis cœleſtia regna.
Interea ueluti magno ſupera omnia ubiq;
Ipſa tuo imperio parent, tua iuſſa capeſſunt,
Sic terræ ipſe uolens tibi late obtemperet orbis.
Perpetuæq; cibo Cereris nos paſce miſellos
Alme pater quocunq; die: noxaſque remitte,
Et ſceleri ignoſcas noſtro, ſi nos aliorum
Rite hominũ culpæ facile indulgemus, & auſis.
Ne ſcelerum furiæ, & peccandi dira libido
Pertẽtẽt animos, duce te, neue improbus hoſtis.
Da meliora tuis, & numine cœpta benigno
Noſtra iuues, ſemperq; malo nos eripe ab omni.

CHRISTIANAE relligiõis Symbolum.

Hæc mihi certa animo ſedet, æternũq; ſedebit
Relligio, eſſe deũ qui magni ingentia mundi
Mœnia, ſydereumq; polũ, terraſque iacenteis,
Oceanũq; uagum, undoſi regna humida Nerei
Omnipotens nutu tantum, uerboque potenti
Condidit, autor opus nulliq; imitabile ſtruxit.
Et mihi certa fides, æquo q̃d numine chriſtus,
Imperioq; pari magni genitoris, Ieſus
Ipſe manu rerum ualida moderatur habenas.
Qui quondã auxiliũ portans mortalibus ægris
Humana terram inuiſit ſub imagine, at illum
Regia uirgo parens nullos dea paſſa Hymenæos
Semine ab æthereo dias in luminis oras
Protulit, ipſe nouum fato inſtauraret ut orbem,
Qui late Solymas princeps ditione tenebat
Pilati imperio, quem gens ſcelerata ſuorum
Affixere cruci, quid enim commiſerat ille?
Innocuũ, inſontem, nimiũq; heu funere acerbo
Demiſere neci: ſed enim, mirabile dictu,
Et quæ ſola deo fuerit conceſſa poteſtas,
Poſtq̃ aurora decẽs cœlo ter diſpulit umbras
Extulit os ſacrum tumulo rediuiuus ab ipſo
Ille, dehinc ſtygias etiã deſcendit ad undas
Inuia perrumpens uiuis loca ditis auari.

Inde herebi uictor, uincentis & omnia læti,
Sydereã in sedẽ, superum, n tẽpla aurea diuum
Euectus, magni dextræ genitoris amatæ
Proximus usq; manet dignatus honoribus æqs.
Idẽ olim, sic fata trahunt, uoluentibus annis,
Vna dies toto exitium quando afferet orbi,
Aeris in campis, summisq; in nubibus hærens,
Stipatus socijs manifesto in lumine diuis
Aduenier, iudex non exorabilis ultra.
Quiq; ausere nefas infandum, ausoq; potiti,
Horũ animas scelerũ fontes, fœcundaq; pœnis
Corpora, supplicijs æternũ asscribit acerbis.
Secretosq; pios, animas meliora sequutas
Immiscens superis, cœlo secum inferet alto.
Quodq; animis hominũ subit ispirãtibus auris
Aethereis numen, magnam dũ mentẽ, animũq;
Immittit, cœtusq; pios coniungit, & omnem
Almæ relligionis opes diffundit in orbem,
Credo equidẽ, nec uana fides mihi uera canenti,
Omnibus una dies nunc irreparabile corpus
Restituet quondam, instauratosq; ordine miro
Excipiet meritos cœlum, iucunda ubi semper
Vita pijs agitur, nullique obnoxia fato.

IVSTO LVDOVICO DECIO.

HOc tibi ꝓmissũ nuper, Iuste optime, munus
Aonidum cultor donat habere Logus.
Dũ fidei memor atq; tui est, pedibus qa senis
Concluſi in numeros te rogitante preces.
Quas olim diui in terris, quasque ipse solutis
Ediderat uerbis diuum, hominumq; pater.
Iure tibi obsequimur: studio pia sacra colendi
Nullũ homini in terris dignius esse potest.
Non animus, uires me destituere, uolentem
Auribus apta tuis edere, & apta rei.
Magna feram exigui conatus præmia, si tu
Sumpseris hæc grata qualiacunq; manu.
His precibus quoties & diuum numẽ adoras,
Tunc quoq; non pigeat te meminisse mei.

AD STANISLAVM TVRSONEM Episcopum Olomucensem.

NOn ego celarim diuæ, quam iuuerit ingẽs
Me Turso, & quanti sit mihi causa boni.
Vt ne præteriens annis fugientibus ætas
Ista hominum memori deleat ex animo.
E trabe descendẽs, & Palladis æmula Arachne
Illius in celebri nomine texet opus.
Neu simus nimium ingratorũ more superbi,

Immemores tanti neu ſimul offitij.
Hæc uobis referam Muſæ, uos dicite cunctis,
Et paſſim hæc porro ſpargite in ora hominũ.
Nam me fortuna oppreſſum, caſuque maligno,
Ipſe ope Turſo ſua reſtituit miſerum.
Ac uelut e fluctu ereptum ſuperimpendentis
Naufragij in portum reſtituit placidum.
Deſertũ a patre, & conſanguinitate propinquis,
Et quorum noſtro fama uireſcit anus
Ingenio, æternum uolitatq; per ora uirorum,
Quam nõ delerint ſæcula cuncta quidem.
Illos non homines humano ſemine creti
Nutrierunt certe, at bellua dira magis,
Indomita aut Tygris, fuluo uel crine Leæna
In duris Lybiæ montibus hos aluit,
Inſontis caſum qui non miſerantur amici,
Surda & prætereunt ſupplicis aure preces.
Cũ tã iactarer, quantum deprenſus in alto
Naufragus undiſonis fluctibus obruitur.
Et iam iãq; magis undarum in molibus altis
Voluitur implicitus gurgitibus rapidis.
Quid faciat miſer, ah miſer, et male perditus ille?
Quanti huic ex triſti corde fluunt gemitus?
Nunc ope Neptunni, nũc Nereidum implorata,
Caſtoris atque etiam lumine conſpicuo.
Et quicunq; deũ ſalſæ imperium Amphitrites

Rite tenent, non hic immemor & Boreæ.
Astillum orantem piscosi numina ponti
Præsenti eripiunt perditum ab interitu.
Sic me etiã rapidis immersum Turso procellis
Præsenti eripuit maximus auxilio.
Hinc uolo perpetuo Tursoni deditus esse,
Dũq; anima, & fuerit uiuere dulce mihi.

AD THOMAM A ZALAHAZA Episcopum Agriensem Epistola.

QVantũ ego sim uestræ gẽtis studiosus, ubiq;
Ex animo faueam & quantũ ego Pãnoñs,
Pannonios facio testes, teq; optime Præsul,
Vnus enim ex uobis nunc ego, & ante fui,
Communes dominos, uictriciaq; arma secutus,
Militiæ & uestræ pars quotacunq; feror.
Quin etiã Italia in magna florente iuuenta
Cum colerem doctas nõ sine laude deas,
Felsina qua uberibus late patet inclyta campis,
Et Rheni exigui flumina parua bibit,
Ex gremio cuius, uelut ex Heliconis amœni
Fonte sacro, æternũ pectora docta fluunt,
Pannoñs nemo uixit coniunctior illic
Externus, sanctæ fœdere amicitiæ.
Nadasdene mihi testis charissime certus
Esse potes, Vârdai, Calnai docte mihi.

Innumeriq; alij, sic est, chorus annuit omnis,
Agnoscuntq; omnes me omnia uera loqui.
Vos facio testes Musæ, quarũ inclyta late
Fama uolat magnæ munere Pannoniæ.
Dicite Pannonij uobis cur negligor unus?
Virtuti potior nusquam habeatur honos,
Cumq; bonis, q̃ uestra habeat Pannonia: forsan
Aspera & hic etiã, & me mea fata premunt.
Quis uos mutauit subito deus, an quia longe, ut
Ex oculis, uestro labor & ex animo?
Emersere alij, quibus aucta potenter adest res,
Et faueo meritis, gratulor usque bonis,
Si quos alma leuat uirtus radiantibus alis,
Non equidem inuideo, miror at ipse magis
Quosdã etiã, ah quales? famæ & uirtutis egẽtes,
Hæret in immundo dũ Logus usq; luto.
Sed tu iam tandẽ uatem miseratus amicum,
O princeps patriæ fama superba tuæ,
Qualẽcumq; licet uatem, clarissime uates,
Largius Aonij quem bibere amnis aquam
Et Phœbus pater, atq; nouẽ pia numina Musæ
Rite sinunt, placido lumine me aspicias.
Promittunt proceres uestri large, & mihi spõdẽt
Omnia, quod nondum sentio, sed memini.
At tu, magne, precor præsta, & mox effice, ut illi
Non tantũ hoc dicant, sed magis ut faciant.

AD IOANNEM TVRSONEM.

De ratione nominis Turſonum.

DVm late uirides hortos, herbaſq; ſalubres,
Et lætos flores dum Columella canit.
Candida uibrato diſcrimine candida Turſo eſt,
Lactucæ enumerat dum genera, iſtud ait.
Scilicet hinc ueſtræ eſt nomẽ Turſo inclyte gẽti,
Eois notum nomen, & Heſperijs.
Siue aliunde fluit, quamuis mihi credere nõ eſt,
Hoc liceat per te credere Turſo mihi.
Hinc niueus ueſtri candor ſtat pectoris, omni
Tempore, ſic floret candida ueſtra fides.
Et ſe uibrato late diſcrimine pandit,
Præcipue miſeris ſed tamen illa nitet.
Et quos alma leuat uirtus radiantibus alis,
Quiq; graue gemino Pallada honore colũt.
Turſo uiret, Phœbi terras ſiue æſtus hiulcat,
Seu niue ſub gelida cum ſata læta iacent.
Seu pater autumnus diuini ruris honores
Explicat, aut tenera uer ſua dona manu.
Et uiget, & toto non unquam deficit anno,
Atque ſuas nullo tempore perdit opes.
Decerpas lato foliorum ex ordine ſi qua,
Tempore ſubſtituit iugiter illa breui.
Immites dextræ, quæ ſic abrumpitis illam,
Ne ſe ſuccreſcens illa nouare queat.

Carpẽ tamen leuius, neue illã a ſtirpe rẽuẽllas,
Vt ſe mox poſſit larga referre tibi.
At tibi perpetuo, Turſonum clara propago,
Quas large miſeris & dare ſæpe ſoles,
Diuitiæ a ſuperis geminato fœnore creſcant,
Atque alia ex aliis commoda nata fluant.
Et uenæ ubertim currant auri atq; metalli,
Vosq; indefeſſo flumine & uſque beent.
Tãq; diu ueſtrũ decus, & domus alma uireſcat,
Quam longæua diu Turſo uirere ſolet.

AD LYCINNAM.

TEr mõ triſtis hyems canis ſata læta pruinis
Spargit, & algenti frigore ſtringit aquas.
Quæq; prius ramis late frondentibus arbos
Suſtulit erectum clara ſub aſtra caput,
Illa modo inſani Boreæ concuſſa procellis,
Candenti gelidam ſub niue ſpectat humum.
In niue fixa manent leporum ueſtigia molli,
Indomitas produnt & ſua ſigna feras.
Venator gelido quas ſub Ioue dum petit acer,
Ah nihil eſt teneræ coniugis ille memor.
Me tenet exigui propter caua flumina Rheni
Felſina, ab Aemilio nobilis aucta ducẽ.
Quam iuxta aerias pater Appenninus in arces,
Altaq; ſaxoſis fertur in aſtra iugis.

Hic mẽ florentem ſtudijs, florentibus annis
Muſarumq; chori, caſtaquè ſacra iuuant.
Et me diuini fontes, & amœna uireta
Delectant, ſanctis quæ loca culta deis.
Hic habitat Phœbus, Muſæq;, atq; optia Pallas
Integris quorum fontibus ora lauo.
Cũ tamen interea, lõge heu mea diſtat ab oris
Italiæ, & ſine me pulchra Lycinna manet.
Quã retinet liquidis piſcoſa Sileſia in aruis,
Odera cæruleo qua fluit amne celer.
Qua timet inſani Boreæ uicina procellis
Oceani tingi Parrhaſis Vrſa uadis.
Vndiq; terra iugis, nemorũq; horrẽtib. umbris
Abdita, & irriguis undique diues aquis.
Et uenis auri diues, chalybumq; metallis,
Quæ diti in gremio terra benigna fouet.
O nemora, o montes, atq; o loca cognita Muſis
Italiæ, curis conſciaque antra meis.
In uita uobis mihi nil iucundius uſquam eſt,
Vos ingrata abſens ſola Lycinna facit.
Quæ licet hinc longa diſtet regione, uiaque,
Eſt animo præſens attamen uſque meo.
O quoties dum ſydereo nix fuſa ab olympo
Decidit, & montes, aruaque culta tegit,
Sic pectus dixi niueum, formoſaque uitæ
Ora nitent noſtræ, marmoreiq; pedes.

Ah quoties aurora niues dum lumine claro
Illustrat, roseis uecta per astra rotis.
Lumina sic nostræ fulgent, mea flamma, puellæ,
Quiq; in purpureo est plurimus ore nitor.
Sæpe etiam dum Phœbeo resoluta calore
Nix fluit in latices candida, abitq; nigros.
Suspirans dixi, forte olim inuisa senectus
Prædetur formæ sic decora illa suæ.
O ego, tanta mihi ne sit modo pœna ferenda,
In duro saxum quam scopulo esse uelim.
Stare uel undoso cautes circumf lua ponto,
Horrida quam sæui uerberat unda maris.
Quando erit illa dies, cum te, mea uita, uidebo,
Et figam roseis oscula nostra genis?
Oscula, uel cœlo diuis non cognita in ipso,
Qualia nec Marti dat Venus alma suo.
Et tangam teretesq; manus, uescasq; papillas,
Pectoraq;, intactas uincere digna niues.
Quãdo ego te sæua redeuntem a cede ferarum,
Dianæ aspiciam munera ferre tuæ?
Setosi caput aut apri, aut cum dentibus albis
Ora lupi foribus torua dicare sacris.
Interea quando duræ horrida frigora brumæ,
Absentem gelida sub regione tenent.
Fata deos quæso tibi dent mollissima, & æuum,
Quæq; alijs dura est, sit tibi mollis hyems.

Ne concreta tibi teneras unda aſpera plantas,
Neue ſecet pulchras durior aura genas.
Candida neue tuo nix inſidiata nitori,
Præcipitet faciles lubricaue unda pedes.
Ipſe ego, quod poſsũ, memori te in corde, animoq;
Abſentem, inq; imo pectore ſemper amo.
Nam ueluti ueras ſimulacra imitantia formas
Par leuibus uentis corpus inane gerunt.
Sic mihi chara oculis tua ſæpe occurrit imago,
Fallit & admotas umbra petita manus.
Sæpe ego ſolatus miſerum teſtudine amorem
Percurri arguta fila canora manu.
Cũ mihi tu præſens choreas es ducere lætas,
Et ſcite exiguum uiſa mouere pedem.
Hic mihi tunc fuerit longe gratiſſimus error,
Si modo ſit de me mutua cura tibi.
Aſt ego cum tantos non poſſim ferre dolores,
Et ſine te quia ſunt omnia acerba mihi,
Cum primũ uer purpureũ beneolentibus herbis,
Suauibus & pinget florida prata roſis,
Et ſtudijs meditor, finemq; imponere curis,
Inq; tuos uelox ipſe redire ſinus.
Interea, quando ſic impia fata tulerunt,
Caſta uale, & noſtri uiue Lycinna memor.

IVLIO CLEMENTI SAVROMANO GEORGII SAVROMANI FILIO SVAVISSIMO.

TV nè mihi formoſe puer non dictus abires?
Te non in cœlum carmine Iule feram?
Tunc ego Sauromano ingratũ, indignũq; fatebor
Fœdere me, & fructu dulcis amicitiæ.
Sauromano, qui me ornauit, qui iuuit, & in me
Omnia quæ potuit contulit officia.
Ne mihi ne tantum ſcelus o permittite diui,
Vt mea chare tibi carmina Iule negem.
Fortunate puer, felici nate ſub aſtro,
Atq; adeo felix tu quoq; uterq; parens.
Eximio patèr eloquio, doniſque Mineruæ,
Tu genitrix multum nobilis & Paphiæ.
Sæpe illum magni reſonantem Cæſaris acta,
Quæq; extant belli plurima, quæq; togæ,
Audŋt & Rhenus genitor, & flumen Iberi,
Audŋt, auriferas & requieuit aquas.
Heſperiæ ille etiam luctus ſolatus amaros,
(Diſceſſu domini mœſta erat illa ſui,
Ceu pia dum charo mater timet anxia nato,
Et uitam aſſiduis flens agit in lachrymis)
Abſterſit lachrymaſq; omnes, triſteſq; querelas
Viribus eloquŋ ſuſtulit ille boni.

An ne hoc prætéream Rhẽni qua docta, potenſq;
Felſina ad exigui flumina parua iacet,
Gymnaſij princeps illic dum nobilis eſſes,
Et magna in populo ſeditio orta foret,
Ipſe bonis iunctus, ſæuo gliſcente tumultu
Duxiſti iuuẽnes ad meliora bonos.
Viribus his ciues ſunt pulſi ex urbe nefandi,
Tranquillum amplexi, te duce, pacis opus.
Concordes proceres, Muſiſq; addicta iuuentus
Arma mala, & triſtes depoſuere minas.
An non Alcidæ ſimilis portenta ſubegit
Impia? ſynceri perniciem eloquij,
Barbariem inſectans Auerruncator, & illam
Inflatam linguæ perdomuit rabiem.
Cumq; aliæ liquidis ſubito extinguantur in undis,
(Momentum bullas nam facit, atq; rapit)
Conflauit bullã hic liquido ex adamante perennẽ,
Quæ iugulat gladijs horrida monſtra ſuis.
Multum illi hanc urbem certe debere fatendũ eſt,
Tot mala cui dempſit, tot bona cui peperit.
Magna quidẽ his lõge, ſed enim maiora canemus,
Herculei ſupereſt namq; laboris opus.
Dum nuper caſtæ pro rẽligionis honore
Pugnat, & euertit ſacrilegum ille nefas,
Eloquio ceſſit demens audacia, & omnis
Impius ille furor, linguaque uicta iacet.

O bona Iule dies, felixq; & tempus, & annus
Qui tẽ fœcundo protulit ex utero.
Illa etenim gemino partu memorabilis una est,
Corporis, atque animi quæ bona tanta dedit.
Ingenñ sobolem illa piam conceptam, & in imo
Auctam animi gremio, lux eadem exhibuit.
Auspicio illa bono, manifesto & numine diuum
Sauromane effulsit, crede, tibi alma dies.
Relligio defensa bona est, turba impia uicta,
Quam furiæ exagitant, quã dolor altus habet.
At pius ille pater Clemens, diuum unica cura
Agnouit numen numinis ipse sui.
(Cuius adoptiuũ, & uerum puer optime nomen
Impositum Clemens Iulius unus habes)
Agnouit diuum auxilium inspirantibus auris
Aethereis, sacris hanc dare rebus opem.
Scilicet hæc eadem exitium quæ terra ferebat,
Illa mali ut præsens mox medicina foret.
Fidus & ille sui domini Gibertus Achates,
Pierñ columen, spesq;, decusq; chori,
Præsentem agnouit grate uim numinis, & te
Complexum miro semper amore fouet.
Hic te adeo indignis fortunæ fluctibus actum
Quamprimum in portum restituet placidum.
Quo me dulcis amor rapuit, tuaq; inclyta uirtus?
Tanquam illam possim dicere tam subito.

At laus est eadem pueri, quæ magna parentis,
Nos tamen incœptum nunc repetamus iter.
Septimus infanti est mensis, & eburneus ordo
In teneri dentum purpureo ore nitet.
Dij quantũ est animi in puero, & uirtutis auitæ
Ignis, agit iam tum pectora in alta decus.
Non illum uideas fletu, non fronte molestum,
Ludit, & huic risus semper amœnus adest.
Et ludit, ridetque, & blando murmure garrit,
Tanquam aliquid norit dicere quod uoluit.
Arridet blandum genitori, almæque parenti,
Omnibus arridet, delitiasque facit.
Nimirum ingenium est illi, & natura benigna,
Et generis bonitas emicat in puero.
Nempe bonos nasci certũ est e gente bonorum,
Semina si referunt quælibet orta sua.
Hoc quoq; eñ mirũ est, quoties uel carmina cãtas,
Siue soluta legas, siue ligata pede.
Nõ tãrũ est Rhodope miratus, et Ismarus Orphea
Non undæ, atque feræ, non nemora, et silices.
Quam stupet, intẽtisq; puer uerba auribus haurit,
Murmurat hinc tãquam reddere & illa queat.
Quis homini partem diuini animi esse negarit
Talia si in tenero pectore signa micant?
Quid memorẽ formæ decus, et pulcherrima dona,
Et flauos crines, purpureasque genas?

Brachiaq̃,& terẽtes digitos,oculoſque Mineruæ,
Quid pectus niueum,marmoreoſque pedes?
Atque etiã ingenuas formoſo in corpore uires,
Plena etenim neruis fortia membra uides.
Quales Pollucis animoſi & Caſtoris artus,
Dum teneri in cunis, et ſine uoce forent.
Qualis & Alcides, cum perderet impiger infans
Angues terribiles colla premente manu.
Viue diu generoſe puer, famamque parentis
Aſſequere,atque etiam ſi potis es ſupera.
Hoc ille in tẽplis ſemper diuum omnibus optat,
Aeterno quoties fert pia thura Ioui.

STANISLAO TVRSONI EPISCOPO OLOMVCENSI.

INcertis terræ & pelagi modo fluctibus actus
Confugio in portum,Turſo benigne, tuum.
Hic mihi certa quies,hic fulget ſydus amicum
Semper,& eſt uelis mollior aura meis.
Quos ego nõ homines,quæ non miſer ante rogaui
Numina? at in noſtras utraque ſurda preces.
Tandem culta mihi teneris pia numina ab annis
Alloquor,æternũ quæque colenda mihi.
Phœbe pater,Phœbiq̃ nouem,mea cura,ſorores,
Vos etenim noſtis quid ferat hora ſequens,

Dicite, ſic uobis grati iuga amœna Heliconis
Vſque ferant canis lilia cum uiolis.
Et uarios fundant in ſerta uirentia flores,
Sic uos perpetui ueris honore beent.
Quis magnæ Italiæ reducem me ſiſtet in oris,
Quis mihi me reddet, quis ſtudia illa mea?
Delitiæ diuũ atq; hominum pulcherrima Roma,
Virtutum, atq; bonorũ omniũ amœna domus.
Quando optata mihi tandem lux illa orietur
Excipiet blando cũ me iterum illa ſinu?
Occurrentq; mihi doctiſſima turba ſodales,
Quorum abſens uiuo nocte, dieque memor?
Sauromani ante alios, quo uix mihi charior ullus,
Aut melior toto uiuere in orbe poteſt?
Sauromani eloquio tam clari, ut credere poſſis
Non alio diuos ore ſolere loqui.
Sic ego, cum Phœbi iuſſu doctiſſima fandi
Calliope ſacro ſuſcipit ore dea.
Heu fruſtra tantis iuuenis iactate procellis,
Aſpera quod nimium fata fuere tua,
Ille pius noſtri cultor, diuumq; ſacerdos,
Præſidium uitæ Turſo, decuſque tuæ,
Iampridẽ unus opem, atq; ultro tibi, crede, tuliſſet,
Te releuans ſolita pro bonitate ſua,
Fata obſtant nimium, & terris nunc tẽpus iniquũ,
Atq; ſua, atq; ſuorũ, aſpera damna nimis,

Bellum obſtat, lachrymoſum, & deteſtabile bellum
Omnibus, & uirtutum horrida pernicies.
Sed tandem afflictis iuuenem ſuccurrere rebus
Ipſe deum ſupera iuſſit ab arce pater.
Heroum de ſtirpe, & auito a ſanguine regum,
Cæſaris hic magni eſt ſanguis, & ante nepos.
Hoc duce & antiquæ florebunt laudis honores,
Aureaque in terris ſæcula rurſus erunt.
Turſonis monitis multum, & prece motus amica,
Conſulet hic ſtudijs proſpicietq; tuis.
Sic ait, & roſeis ſeſe dea ſuſtulit alis,
Tunc & aues fauſtæ ſigna dedere bona.
Spes eſt certa mihi, non nouit fallere Turſo,
Credere nec fas eſt fallere poſſe deam.

SIGISMVNDO AVGVSTO INCLYTI Regis Sarmatiæ filio, & Principi Lithouaniæ.

Magne puer, magnis genite, et quæ numia forti
Sarmatiæ ſuperi miſſa dedere polo.
Iam nunc te in pulchram uirtutẽ, animoſq; uiriles
Excitet ardentem magnus uterq; parens.
Nã genitor, ceu fulmineis Mars ſæuus in armis,
Proterit hoſtiles per fera bella manus.
Indomitos late ille Scythas, dum a finibus arcet,
Et multa Geticam cede colorat humum.

Diua parẽs, decus Italidũ, pulcherrima nymphe,
Vnica quæ tali digna reperta uiro.
Heroum de ſtirpe, & auito a ſanguine regum,
Et regina ingens ipſa, deumq; genus.
Cui Pallas docta ingenium, Venus alma decorẽ,
Imperium tribuit Iuno ſuperba potens.
Ingenium, & ſacræ uirtutis ſemina, & ignes,
Innatumq; decus huius, & huius habes.
At non Aeacides immanes ante leones
Strauit, & increpuit fila canora lyre,
Carmine dum traheret molli duriſſima ſaxa,
Facundo aut doctos fudit ab ore ſonos,
Queis fera molleſcũt, ſi quando in bella feruntur,
Corda uirum, atq; animos compoſuere truces,
Aut contra ore graui inflammati, fortibus auſis
In medias acies Marte furente ruunt,
Nec rapidos curſu præuerterat impiger euros,
Direxitue agili ſpicula certa manu,
Non ſic ſponte ſua enituit, licet inſita ſacræ
Naturæ huic fuerint ſemina larga ſatis,
Horrendo niſi ſemiferi Chironis in antro
Excultus ſtudijs talibus ante foret.
Non Aſiæ domitor Macedo fortiſſimus olim
Vidiſſet ſolis exorientis equos
Efflantes late ſublatis naribus ignem
Victor, luciferum ſpargere in orbe diem,

Ni catus ille senex animosum pectus alumni
Formasset studijs sedulus ante bonis.
Tu quoq; nūc Chirone fores tanta indole dignus,
Dum tua uer ætas florida agit tenerum.
Qui studijs generosū animū tibi formet honestis,
Virtutis uerum qui tibi monstret iter.
Non tibi cum magno fuerit certamen Achille,
Nec cor sollicitent facta aliena tuum.
Aemulus inuicti genitoris enim, omnia in uno
Cunctorum uinces tu decora alta ducum.

TYBVR AD MATTHEVM GYbertum Episcopum Veronensem.

HErculeum Albuneæ Tybur resonātis ad ædē,
Nuper Sauromano mi duce adire meo
Contigit, umbrosos libuit quam uisere montes,
Prataq; uerticibus subdita amœna suis.
Horrificosque sonos, dum lapsa e rupibus altis
Concaua saxa inter marmorea unda frēmit.
Tunc menti subijt mortali maior imago,
Aeternis qualem suspicor esse deis.
Namq; hic Virgilium rupes mirata canentem,
Terrea quæ fuerat, saxea tota modo est.
Et Flaccus cytharam plectro dum pulsat eburno,
Et cantu eximio sydera summa ferit,

Herbosas ripas, fœcundi & fluminis alueum,
In lapides duros obriguisse ferunt.
Hæc quoq; Mecœnas indulsit gaudia sacris
Vatibus, & studijs otia grata bonis.
Quæ desiderium lenire Aganipidos undæ
Possent, huc doctas allicere atq; deas.
Tempore Mecœnas Tybur nostro omne superbũ
Gibertus placida sub ditione tenet.
Hic quoq; diuitias, atq; otia grata poetis
Largitur, priscum & rettulit omne decus.
Non igitur mirum est, si certant uatibus illis,
Carminaq; antiquis annumeranda canunt.
Barbarus ipse etiam, rigidiq; Aquilonis ab oris
Insolito uideor grandius ore loqui.

AD PAVLVM IOVIVM NOVOcomensem historicum.

PAule Ioui qui gesta canis Mauortia nostri
Temporis, & multum nobile condis opus.
Atque, ita sim felix, Liuij feliciter altum
Dicendi effingis, æquiparasque genus.
Nam quoties Martẽ duro ex adamante superbũ
Vestis, & ardentem fulmineumque facis,
Et mãgnæ Italiæ fulgentia signa, acieſq;
Effera Gradiuus, te duce, in arma rapit,

Teutonicaſq; aciès, & magni Cæſaris arma
Ignea ſublimi ducis in aſtra ſono,
Hiſpanoſq; feros animi, Galloſq; ſuperbos,
Atq; alios, quorum fortia facta canis,
Machinaq; horribili ſonitu dũ concutit arces,
Te duce, & in cœlum fumus it, atque fragor,
Aeratas toties uideo pugnare cohortes,
Ante oculos cædes, rem uideoq; geri.
Sed tu, quæ inuidia eſt? tã longũ in tẽpus, & annos
Cunctorum uotis ſcripta petita premis?
Quæ tu quæſo uirum tandem uolitare per ora,
Et ſinito æterna poſteritate frui.
Tu tot Paule unus celebras per ſæcula gentes,
Vnum te cuncti Paule ſed uſque canent.

DE MOTIBVS BELLICIS IMPER. CAES, CAROLI ET FERDINANDI PANNONIAE ET BOHEMIAE REGIS.

AOnias quicunq; undas, fontiſq; beato
Caſtalĩ uates ore bibiſtis aquam.
Queiſq; adĩſse fuit licitum pede amœna ſecundo
Antra deum, Aonios inq; Helicone choros.
Et nemus umbriferum, ſemperq; uirentia prata,
Iuncta ubi ſtat lauro myrtus odora ſuo.

Et florum genus omnẽ, ſuiſq; innexa corymbis
Eſt edera, ut ueſtras implicet apta comas.
Et loca, quæ Phœbo Muſisq; habitata canoris,
Sacraq;, perpetuo uere nitere ſolent.
Quorum, dum gracili modulantur carmina uoce,
Concentu ualles inſonuere cauæ.
Frondibus innixæ tremulis uolucreſquẽ ſonoræ
Miratæ, cantus deſtituere ſuos.
Fluminaq; ad fontes properantia mollibus undis,
Ad ſonitum fluctus compoſuere citos.
Vos quibus ingenium diuinius altus Apollo
Incitat, Aoniam datque mouere lyram.
Et Muſæ faciles, ſocio cum numine Phœbi
Afflarunt uires, ingenñque decus.
Inſignes animæ, genitæ felicibus aſtris,
Altius humano queis licet ore loqui.
Nunc opus eſt grauiore ſono, cantuque moueri,
Largius Aonñ nunc bibere amnis aquam.
Nunc etenim oblata eſt ingens occaſio ueſtris
Ingenñs, magni naſcitur oris opus.
Certate ingenñs, feriant & ſydera cantus
Aurea, uicinum commoueantque Iouem.
Aeratas in bella deus mouet ecce cohortes
Cæſar, & horrendi Martis in arma ruit.
Excituſque hominum uotis, & numine diuum,
Italiam optato tandem adit ille pede.

Quæ Gallos exosa truces, dominosq; superbos
Eñcit, & tandem est Cæsare freta suo.
Oppressumque armis decus, & uirtutis honores
Vindicat, eque graui libera colla iugo.
Galle superbe cades, meritas & perfide pœnas
Iam dabis, & dignis accipiere modis.
Omnibus inuisus, toto es contemptus in orbe,
Venit & a superis debita pœna tibi.
Dum struis insidias, dum proditione, dolisq;
Perfidiaque nocens regna aliena peris.
Nunc tua, nunc iusto male regna tueris ab hoste,
Et mandas timidæ terga inhonesta fugæ.
Non solet insidijs, sed uincere Marte potenti
Cæsar, & inuicto milite bella gerit.
Fraus indigna uiris est fortibus, ipsaq; turpem
Perfidiam, & uirtus odit honesta dolos.
Gallia Cæsareis uinci olim assueuit ab armis,
Nunc quoq; fatali uincitur illa manu.
Vincere consueuit germano milite cincta,
Quæ modo Theutonico uicta sub hoste perit.
Magna quidẽ, at dubiũ est his nũ maiora supersint
Dicenda, his certe uel grauiora putem.
Dum nouus Aeacides Fernandus Pannonius rex,
Cui iuueni uirtus contigit ante diem,
Irruit in Turcas, & sæui fulmine belli
Proterit hostiles fortis ubiq; manus.

Omnis & incensa est furijs Germania iustis,
Cogit & armisonas in fera bella manus.
Iam uideo sonitu armorum, & mugitibus æreis,
Machina fulmineo dum quatit igne globos,
Ipsum adeo in rapido stupefactum gurgite aquarū
Istrum, & ceruleo mergere in amne caput.
Qui modo sanguineis multo fluet amplior undis,
Dum fera Turcarum corpora cæsa uehet.
An ne inter primos nitidis rex igneus armis
Pugnat, cumq; fero conserit hoste manus?
Vtq; noua uirtute puer quondam usus Iulus
Pulcher Apollineo numine fortis erat,
Perq; caput Remuli telum coniecit acutum:
Sic animi ingentis rex sacer orsa mouet.
Gaudete Heroum manes, & Græcia felix
Ingenijs, quondam Græcia Marte potens.
Reddetur tibi libertas, reddentur honores
Prisci, florebunt & studia illa tua.
Seruitioq; graui subduces libera colla,
Hoc iuuene inuicta bella gerente manu.
Iamq; illi applaudet lætis uictoria pennis,
Iam tibi deuicto ex hoste triumphus adest.
Quin etiam Cæsar redimitus tempora lauro
Insigni statuet clara trophæa modo.
Atq; animum Galli tumidum frenabit iniqui,
Totum orbem imperio subijcietque suo.

Victriceſq; aquilas ſuper et Garamantas, & Indos
Proferet, Herculeo moreque uictor erit.
Hos motus animorũ agitat furialis Enyo,
Horridaque illuſtres mittit in arma duces.
At uos afflati Phœbeo numine uates
Egregñ, hæc grauibus tanta ſonate modis.
Arduaque æternis committite prælia libris,
Aeternum ut uolitent clara per ora uirum.
Coniunctoſq; animis, fraterno & ſanguine reges,
Ignea ſublimi ducite in aſtra ſono.
Ipſe quidem uolui tantis me accingere rebus,
At me tentantem debilitauit onus.
Maximaq; audendi fuerat mihi certa uoluntas
Fixa animo, atque alto fortius ore loqui.
Cum me ducentem fortes in prælia turmas,
Aurea purpureo riſit ab ore Venus.
Et puer intendit certum nimis improbus arcum,
Spiculaq; in noſtro pectore fixit amor.
Atq; ait, hoc pacto profugi mea caſtra relinquunt,
Viribus atque impar aggrediuntur opus.
Hinc me deſtituit tumide furor alta ſonantem
Prælia, uixq; humili mouimus ora ſono.
Sit uoluiſſe ſatis, meruitque modeſtia laudem,
Ingenñ quod ſum conſcius ipſe mei.
Hoc mihi ſi tantũ laudis tribuatur, abunde eſt,
Docta cohors monitu ſi canet iſta meo.

AD STANISLAVM TVRSONEM EPISCOPVM OLOMVCENSEM.

TVrſo pater caſtæ exemplum pietatis, & almæ
Virtutis lumen, præcipuumq; decus.
Cui ſyncera fides, bonitas, paxque aurea cordi
Semper, & in ſtudijs otia trita bonis.
Relligio imprimis, & priſcæ laudis honores,
Et Muſæ, & Charites, doctaq; corda uirum.
Aurea quem decuit, tam ſanctũ, in ſæcula quondã
Incidere, aut uitam degere cœlicolum.
Nec ſub mortali talem te lege creari,
Quando colit terras ferrea progenies.
Illo te decuit naſcentem in tempore diuos
Inter, & heroas uiuere ſemideos.
Sponte ſua tellus quando omnis cuncta ferebat,
E facili fundens cuncta inarata ſinu.
Nam tunc perpetui florebant ueris honores,
Aurea pax, uirtus aurea, cana fides.
Aſt illi umbroſo in nemore, aut ppe fluminis undã
Qua uitreas blando murmure torquet aquas,
Iucundos auium cantus, ſtrepitumq; Fauoni,
Dum teneros flores ſpargit in ora procax,
Audire, & ſoliti fragrantes inter odores
Ceſpitis in molli ſternere membra thoro.

Quos inter uates, cecinit qui primus ab alto
Ventura in terras numina, quiq; deum,
Carmina ſancta quidem, digitis cũ uoce loquutus,
Fatidico ſanctus promit ab ore ſenex.
Ah nimis ingrato ſæclorum in tempore es ortus,
Non hæc te talem talia ſæcla decent.
Nam quæ te indigno fortuna inimica dolori
Obiecit, aut quæ nam triſtia fata nimis?
Talia ut inciderent, atq; in tua tempora monſtra,
Pernicies hominum, peſtis & atra deum?
Queis ſtudiũ innocuæ nullũ eſt bonitatis & æqui,
Omnia qui in terris perdita, uerſa uolunt.
Omnia ſacra, prophana malo permixta furore,
Queis nec cura hominum, cura nec ulla dei.
Sacra nouant, diræ genus impietatis, & audent
Tinctum iterum in ſacro tingere fonte caput.
Damnantes decreta patrum, rituſque probandos,
Sacraq; maiorum prodita & ore dei.
Quin ipſum (horreſco referens) detrudere cœlo
Nituntur caſta cum genitrice deum.
Numina iam terris ſibi pulſa, & auerna ſub alta
Condita, & horrendi ſub Phlegetontis aquas.
Audiat hæc olim, uentura hæc audiat ætas,
Et ſceleri huic ullam poſſit habere fidem?
Herculeo inuictoq; animo fera monſtra ſed arcẽs,
Vſq; renaſcentis deſecat anguis opus,

Cudit & ignipotens Faber ignea tela, sagittas,
Dum sacri eloquij fulmine, & igne, tonat.
Titanasque Ioui æthereo fera bella mouentes
Sternit ad ardentes usque Acherontis aquas.
Vulcano melior Faber, hic tela omnibus unus
Suggerit, hic idem cudit, & ipse ferit.
Vtq; Ioui alta petens uolucrum regina ministrat
Fulmen, & artifici tela parata manu.
Taliter armipotens diuinæ inclusa pharetræ
Turso tibi mittit fulmina certa Faber.
Queis usi pariter, Turso fortissime, ubiq;
Inuicta asseritis sacra, deosque manu.
Macti ambo uirtute, ambo præstante labore,
Quos diuum atq; hominũ tam pia cura tenet.
In terris homines uobis dent præmia digna,
In cœlo superi dent bona cuncta boni.

AD EVNDEM.

AVreus ecce diem reuehit iam Lucifer almum,
Qua uirgo æternum casta deum peperit.
Iam modo magne puer, mundi melioris origo,
Præsenti nobis numine dexter ades.
Vtq; orbem a cœcæ priscum caligine noctis
Eripuisti olim lumine conspicuo,

Sic modo seductum infandis erroribus illum
Eripe de magna tu quoq; pernicie.
Nam quidam agnino ueniunt in uellere, at intus
Raptores celant ueste tegente lupos.
Hi sacrum ecce tuũ prædantur ouile, seruntq;
Inter oues magni semina dissidij.
Pastores tueare bonos, ouiumq; magistros,
Qui te syncero corde, animoque colunt.
Tursonem ante alios, quo non studiosius ullum
Sollicitat castæ relligionis amor.
Huic uitã, huic & opes præsta, uiridemq; senectã,
Daq; illi ut felix hic sacer annus eat.
Atq; illum uere si diligo pectore ab imo,
Da contra ut sit amor mutuus inde mihi.
Tu quoq; natalis tanto celeberrime partu,
Lætior huic semper, candidiorque redi.

AD VRATISLAVIAM SILESIAE METROPOLIM.

ODera ceruleo quã piscosissimus amne
Alluit, alta sacris mœniaque ambit aquis,
Et mediam irriguo quam flumine diuidit Ola,
Hinc cursum domino finit in amne minor,
Bresla potens, formosa, urbs iucũdissima, amœna
Virtutis pulchræ, Pieridumq; domus,

Nympharumq; parẽs o felicissima, nostræ
Pulchrum ornamentum quæq; nites patriæ.
Atque deis, regiq; tuo gratissima sedes,
Vna places cunctis, delitiasque facis.
Nuper eñ memini, et multũ meminisse necesse est
Te, ueluti matris filius e gremio
Paruulus ille piæ, externas procul in regiones
Dum rapitur, mœstus rex quoq; deseruit.
Rex sacer, & procerũ insignes equitũq; manipli,
Queis q̃ iucundum te fuit alma frui,
Tam durum caruisse modo est, tua dulcis imago
Nunc etiam est oculos usque secuta meos.
Dulce tui desyderium sic detinet omnes,
Inq; tuos cupiunt Bresla redire sinus.
Hunc precor alma diem quãprimũ aurora beatũ
Afferat, et roseis lucifer altus equis.

IOANNI TVRSONI.

SOllicita dum tu procul ambitione remota,
Non ignaua tamen otia lætus agis.
Inque pñs felix studñs, sanctoque labore
Consumis uitæ stamina ducta tuæ.
Littora tuta legens cautus, portumq; tenendo,
Cum liceat medio te dare uela mari.
Nos Turso ingressi tumidis freta sæua procellis
Sensimus insani numina dira maris.

Regum sollicitis quia dum iactamur in aulis,
Heu mihi quam studijs uita inimica bonis,
Naufragium medijs feci miserabile in undis,
Et longe nimium,quem peto,portus abest.
Incidimus sæui dudum in contagia morbi,
Et mala pertulimus asperiora fide.
Aurea iam renouat bis ter sua lumina Phœbe,
Fœtaque fraterno lucet ab igne dea.
Non tamen ulla meum potuit medicina dolorem
Tollere, plus docta nam ualet arte malum.
Et licet hoc certa uitium medicabile cura est,
Illud longa solet extenuare mora.
Quicquid opum fuerat, morbus,medicique tulerũt,
Pharmacaq;,& uictus dura alimenta mei.
Accedit nostris duris in rebus egestas
Dura malis,omni sumque ego parte miser.
Non eguissem equidem propius si degeretille,
Ille tuus frater Turso, paterque meus.
Me,licet in patria degentem,haud subleuat ullus,
Patria nam semper dura & iniqua mihi est.
Nunc te per Geniumq; tuum,fratresq; benignos,
Mansurumq; precor tempus in omne genus.
Ne patiare inopem saluo te ducere uitam
Turso Logum, ueniat sic tibi triste nihil.
In me munificus nanque ultro sæpe fuisti,
Cum fuerant uitæ prospera fata meæ.

Improba mutauit uultum fortuna, rogatus
Nunc & opem nobis Turſo benigne feras.

HADRIANO VOLF-HARDO.

INgenij tanta eſt, blandæ & tibi gratia linguæ,
Tanta tibi probitas, tantum Hadriane decus.
Et ſyncera fides, animique modeſtia recti,
Atque uerecundo largus in ore pudor.
Ingenui & tibi frontis honos, & talis honeſti,
Qualis in Hyppoliti non erat ore decor.
Et quicquid dicis, ſiue es quæcunq; locutus,
Ipſa mihi uiſa eſt fundere uerba Charis.
Num te uirgineis tenerum nutriuit in ulnis,
Seu tibi Muſa parens, uel Charis una fuit?
Et tibi Muſa fuit genitrix, Chariteſque pudicæ
Vbera nutrices larga dedere tibi.
Inde fit, ut dictent faciles tibi carmina Muſæ,
Atque elegos ſimiles culte Tibulle tuis.
Et quicquid dicis, ſiue es quæcunq; locutus,
In uerbis inde eſt gratia multa tuis.
Cum tu Chaonijs ſis mitior ergo columbis,
Et cedat placidis moribus agna tibi,
Dic tibi cur ſæuus tamen indidit Hadria nomen?
Indomiti nè maris nomina ferre potes?

Hadria nam quanto est immitior omnibus undis,
Ingenium tanto mitius ipse tenes.
Non Hadrianus erit tibi nomen moribus impar,
A Chari sed merito tu Chariteus eris.

PHILIPPO OBERMARIO.

QVæ mihi te primũ iunxit mi chare Philippe,
Hæc mihi sancta dies, festaq; semper erit.
Quinetiam Musis urens beneolentia thura
Sacrifica fundam nigra falerna manu.
Castalĩq; quæ te lauere in fluminis unda,
Oscula quæ tenero blanda tulere tibi.
Namq; canis tenero non inferiora poetæ
Carmina, cuius amor Delia culta fuit.
Atq; etiam facili spacio propiore phalæco
Vatem, quem torsit Lesbia, iam sequeris.
Et fors quinq; neunt parcæ fugientibus annis
Nondum lustra tibi per sua fila deæ.
Felix, o nimium felix, cui contigit annis
Vix iuueni, priscis uatibus esse parem.
Et tibi casta fides, & mens tibi conscia recti est,
Ingenui mores, & sine labe pudor.
Vincula amicitiæ solido ex adamante cathensis
Aeternum uirtus nectere firma solet.
Hæc mihi te iunxit, hæc conseruabit amicum,

Quem poterit a mẽ ſoluere nulla dies.
At tu, ſi ipſe tuo uideor quoque dignus amore,
Fac tibi de nobis mutuus adſit amor.

AD STANISLAVM TVRSONEM EPISCOPVM OLOMVCENSEM.

TVrſo meæ columẽ, pater, & ſpes certa Thaliæ
Et duce quo portum noſtra carina tenet.
Si quæris mea cur male carmina ſcripta uacillent,
Durior & ſolito cur mihi uerſus eat.
Obriguere gelu digiti ſcribentis, & ipſum
Frigore concretum torpuit ingenium.
Horridus ecce Aquilo ſyluas, lucoſq; ſonantes
Concutit, & multum frigida ſæuit hyems.
Hirſutis alĩ uelati rite ferarum
Exuuĩs, arcent frigora ſæua hyemis.
Aſt ego ueſte Italum tenui, quæ peruia uento eſt,
Quem ſimulo, uellem diſſimulare magis.
Carmina ſcribuntur ſubito laudanda calore,
At mea nunc gelidum frigora pectus habet.
Inde etenim calidus uatum eſt tutela Lyæus,
Et uinum eſt doctis uatibus acer equus.
Hinc ſi me cupies laudabile pangere carmen,
Da quibus indutus ueſtibus incaleam.

Quiq; agis, o Princeps, nẽ mẽ æra aliena trucidẽt,
Da quæso immiti frigore ne peream.
Tunc tibi bis uitam debebo maxime Princeps,
Bis ero seruatus quando ope Turso tua.

DE SE IPSO LOGVS.

FAllit me incautũ bonitas mea, nec mihi seruat
Quam spondet fallax portus & ipse fidem.
Me uocat ille quidẽ placido sæpe æquore in altũ,
Inq; sinus blando murmure sæpe suos.
Ingressum subito trepidis quatit ille procellis,
Et uaga feruentis raptat in arua freti.
Quam uarijs agitur mare tempestatibus ingens,
Ventorum incubuit fæuus ubi ille furor,
Tam uarijs infida hominũ mens anxia curis
Fluctuat, & uentis non caret illa suis,
Inuidiæ rabie atq; notis agitata malignæ.
Atq; aliquã in terris quis putet esse fidem?
Sunt tamen illustres animæ, synceraq; multum
Pectora, sunt recti conscia corda sibi.
Vix tamen apparet sex centũ in millibus unus,
Et me unum in paucis quid uetat esse tamen?
An mage cõuersis studijs scelus omne mouẽdũ est,
Atq; doli, ingenua simplicitate procul?

Namq; nec ingenium, mihi non induſtria deſit,
Verſandiq; dolos ſunt mihi mille uiæ.
Ne mihi tam ueniat, o diui, inſana uoluntas,
Vos, o uos tantum dñ prohibete nefas.
Decipiat, fallatq; alium quiuis precor ante,
Me iuuet ingenuum ſemper, & eſſe bonum.

IOANNES ROSINVS.

PErdiderat tenerum mater Cytherea leporem
I puer, inquit, amor, tuq; Cupido ſimul.
Præpetibus pennis totum percurrite mundum,
Quærite ſi qua uagi fama leporis erit.
Prodierant terſa nitidi modo fronte libelli,
Hic certe, inquit amor, hic fugitiue lates.
Audñt iſta lepos, penetrat ſimul ilicet auras,
Matris Acidaliæ ſiſtitur ante pedes.
Arriſit mater, ſolito quod pulchrior illum
Omniuoli ante Iouis conſtituit ſolium.
Ambroſiæ æterno puerum demulcet honore
Iuppiter, et terras iſte reuiſat ait.
Seria mortalis commitiget anxia uitæ,
Et lepidis curas temperet illecebris.
Ni foret inuidiæ mortali parta labore
Gloria, iucundus mi foret iſte puer.

Parue lepos ſummi iuſſus ne temnẽ ton antis,
In terras iterum delitioſe redi.
Vade per Auſonias urbes, nomenq; latinum.
Mortalemq; leues mitis amaritiem.
Acceptus niueo quando candore placebis,
Quod placeo, Logi debeo dic numeris.

AD GABRIELEM
COMITEM AB ORTENBVRG.

HVnc tu iure tuo Gabriel tibi ſume libellum,
Vltima qui cœpti meta laboris erit.
Nam tua cum domini felix induſtria curas
Alleuet, obſequijs, dexteritate, fide,
Hunc quoq; ne pigeat tenuem te ferre laborem,
Cum domino hos faciles ut tueare iocos.
Veſtra etenim argutoſq; ſales, dulceſq; lepores
Non tantum agnoſcit patria, ſed peperit.
Nobilis ingenijs tellus, & Marte ſuperba,
Claraq; magnorum mater Ibera ducum.
Hunc ergo illepidum, incultum, inſulſumq; libellũ
Ingenio Gabriel & ſale tinge tuo.

AD FERDINANDVM PANNONIAE, ET BOHEMIAE REGEM.

ET Phœbi, Martiſque diu neglecta iacebant,
Nec ſtudia his regnis huius, & huius erant.
Cum ueluti ex alto iuuenis demiſſus olympo
Vltro oblata ſibi regia ſceptra tulit.
Cæſarea de ſtirpe genus, & ſanguine regum,
Heroumq; alto ſemine progenitus.
Ergo iterum florent artes belliq;, togæq;,
Aureaque his regnis ſæcula nata uides.
Nempe ſuo ſimiles populi regi eſſe laborant,
Qui decus atque artes huius, & huius habet.

AD EVNDEM IN PANNONIAM cum exercitu profectum.

COelum etiam auſpitijs tempeſtateſq; ſerenæ
Rex inuicte tuis, ſyderaque alta fauent.
Aurea nam renouat iam ter ſua lumina Phœbe,
Ex quo Pannoniæ ditia in arua uenis.
Flammiferum interea ſolem, qui temperat annũ,
Auricomum uidit condere nemo caput
Nube ſub obſcura, aut imbreſue, niueſue cadẽteis,
Aeſtatem autumnus & facit ipſe nouam.

Scilicet ipſe nouum cernens te effulgere ſydus,
Aemulaque inuidit ſol decora illa tibi.
Atque tuos certat radios ſuperare, ſed illos
Tam uincis, lunæ uincit ut ille iubar.

AD EVNDEM, CVM EI DIADEMA IMPONERETVR.

NOcte furit tota Boreas, pluuiæque, niueſq;
Mane autem irradians ſol nitet auricomus.
Et fera tempeſtas, diro quæ uenit ab hoſte,
Rege ſub hoc nobis tempora læta feret.

DE IOANNE ZAPOLIENSE AD Tockai arcem profligato.

QVem modo perculſum regnandi dira libido
Per ſcelus, atque nefas turpiter extulerat,
Prodidit hic regem nuper, regnumq;, ſuoſq;.
Omnia nanq; malis uerterat inſidijs.
In rabiem tædis furiarum ardentibus actus,
Concipere ut poſſet fortius omne nefas,
Contẽptorq; deũ, atq; hominũ, pietatis, et æqui,
Deſeruit nuper, prodidit ante ſuos.
Cum ſubito e medio belli certamine raptus
In miſerum aufugit ſemiuir exilium.

Tale dei eſt numẽ, tali ſcelera impia nutu
Damnans, momento punit ille breui.
Victor adeſt iuſti iuſtus rex ecce triumphi,
Huius honoratum laurea necte caput.

IN IOANNEM ZA-POLIENSEM.

PErfidiæ, ſceleriſque ſui, ſceleriſq; ſuorum
Præmia, Vaida nocens num diadema ferat?
Coruinum ante pater regem decepit, opeſque
Auertit geminæ tum male Pannoniæ.
Non ſatis una dies, ſi commemorare liberet,
Peccarit quoties iſte, quibuſq; modis.
Deſeruit regem nuper, regnumq;, ſuoſq;
Prodidit, ah certe perdidit iſte latro.
At tu hæc magne oculis diuũ pater aſpicis æquis?
Iam nimium languent tela triſulca tua.
Quid precor ah demens? quid eñ pater ille deorũ
Perderet in uili fortia tela anima?
Pellibus inſutum (ſuus has auus ante parauit,
Qui quondam hac cerdo doctus ab arte fuit)
Vt quæ dira olim damnatis cæde parentum
Infandum ob facinus addita pœna fuit,
Perniciem patriæ, uenti, tumidæq; procellæ,
Per freta, per ſcopulos, & maria alta ferant.

IN EVNDEM.

PRædâ agere assuetus raptor lupus, & stabula (alta
Lustrorum, & solitus densum habitare nemus,
Debita magnanimo inuasit fur regna leoni,
Et pecus in prædam uerterat omne suam.
Indignum ob facinus generosa percitus ira
Obuia magnanimus cui tulit arma leo,
Bis, terq; hostili numero maiore luporum.
Ipse deus iustis fauit & alma Themis.
At non ipse sui, solitæ est oblitus & artis,
Sed celer in syluas fugit & antra lupus.
Turpe putas factũ, turpis fuga fœda leoni est,
Ista lupi est uirtus, quod rapit, atquè fugit.

DE IMPERATORE CAESARE CAROLO AVGVSTO.

CVm foret ingenio, cũ magnus Cæsar in armis
Ingenium Musæ, Mars daret arma pater,
Contendisse diu fama est duo numina ob unum,
Vnde uiro maior gloria nata foret.
Cũ subito arrepta grauis affuit aegide Pallas,
Imposuitq; eius laurea serta comis.
Atq; ait, arma ingens Cæsar mihi debet, & artes,
Quod fuit amborum Pallas ego una dedi.

STANISLAO TVRSONI EPISCOPO OLOMVCENSI.

AGnoſco ſoliti tua Turſo, animiq; paterni
Offitia, o uitæ portus, & aura meæ.
Munera non ſat erat, ramum fulgentis & auri
Abſenti dulcem mittere in Italiam,
Nunc quoq; ni reducē donis, & honoribus ornes,
Atq; opus ex omni parte tuum polias.
Quæ nam digna tuis meritis, ego dona repēdam?
Sed quis habet meritis munera digna tuis?
Vos mihi, uos ſaltē teneris muſæ inclyta ab annis.
Aeternum & ſtudijs numina culta meis,
Vos mecū hunc gratæ cantu celebrate ſuperbo,
Illius ut feriat ſydera ſumma decus.
Hoc olim ipſe adeo gemina uirtute meretur,
Vos colit, aq; alijs uos facit ille coli.

AD EVNDEM.

VEſtitum breuiter, longo tamē enſe recinctum
Pars Italum, Hiſpanū hic, ille alium eſſe putat,
Hæc tamē una animo fixa eſt ſententia cunctis,
Militia ex aliqua me redijſſe modo.
Palladis e caſtris doctæ reducem eſſe fatenti,
Militiam hanc cultus non decet iſte bene.

Veſtitu ut referam ſtudiũ pater optime quæſo,
Et longam ſagulis adde togam breuibus.
Nec male conueniet diuæ armipotentis alumno
Interior Martis, pacis at exterior
Cultus, & ipſa olim forſan dabit alma uirago,
Vtilis ut bello ſim, pariterque togæ.

AD ALEXIVM TVRSONEM.

ME quoties fortuna graui mea turbine uerſat,
Aſpera quæ nimis eſt, & mihi iniqua diu,
Turſonum in portus, & diuerſoria nota
Rite fugam, & ſoleo tunc ego uela dare.
Illi autem, qua ſunt bonitate, & mente benigna,
Naufragum, & eiectum molliter uſque fouent.
Munificaq; manu, gratis & honoribus augent,
Meq; opus ex omni parte ſuum poliunt.
Inter eos certo tu non ſine numine Alexi
Egregium nomen auxiliantis habes.
Nempe quod auxilium præſens doctiſq;, boniſq;
Ferre ſoles opibus, præſidioque pio,
Hinc merito grati diuini uno ore poetæ
Laudibus extollunt teq;, tuamque domum.
Ipſe ego quo poſſum, ſed munere fungor inani,
Nam nimis eſt tenui noſter in ore ſonus.

AD IOANNEM HOFMAN QVAESTOREM REGIVM.

QVod regi es charus, tanto q̃d amore uicissim
Ipse tuum regem Iane, fideque colis,
Hoc tua promerita est bonitas, industria, pectus
Consiliȝs fœtum pectus, & ingenium.
Magnanimi & quis non uirtutem regis adoret?
Ereptum terris quæ super astra leuat.
At quod præcipuo te rex amat æquus amorẽ,
Præcipua regem quod pietate colis.
Prætori ex sese geniti uoluere Quirites
Quæstorem prisci nempe quod esse loco.
Prætorem & ueluti sancta pietate parentem
Vt coleret quæstor, nam quia moris erat.
Custodem ærarñ quoniam te constituit rex,
Quod mira offitium sedulitate facis,
Egregium hunc morẽ, quãdo hæc cõcordia, utercꝫ
Non tantum præstat, sed magis exuperat.

AD EVNDEM.

ANte alios memini nuper mihi Iane fauebas,
Et longe ante alios tu mihi charus eras.
Nũc quoqꝫ mens eadẽ maneat tibi chare p̃camur,
Ante alios semper nam mihi charus eris.

Sed cũ non alio possum illum munere amorem
Exprimere, aut alio quolibet offitio.
Qualicunq; quidẽ hunc refero tibi carmine, Musa
Inq; tuas laudes offitiosa mea est.
Qualiaq; a miseris donantur munera, grate
Offerimus icti iam modo sorte graui.
Munera parua quidem fateor, sed mente benigna
Hæc ego quæ potui, tu quoque quæ poteris.

IN FONTEIS QVOS IN RVRE paterno purgandos curaui.

O Gelidi fontes uitreæ qui uoluitis undæ
Flumina, & hosce locos tingitis amne nouo.
Vos ego, cum ripas limosa insisteret ulua,
Nec tenuit cursum lympha morata suum,
Atq; informe lutum tenui foret altius alueo,
Purgaui, ut faciles nunc uehat amnis aquas.
Atque pius patrijs aruis, quæ flumine leni
Alluitis, lætam restitui segetem.
At uos pro meritis grati pietatis honoræ,
Fertile perpetuo fonte rigate solum.

IN FONTEM BONONIENSEM.

QVæ blando erũpũt strepitu sub mõtis amœni
Vertice, & e gelido fonte feruntur aquæ.

Neglectæ nuper, nulloque in honore manebant,
At nunc delitiæ sunt domini & populi.
Nanq; loci captus princeps Aueroldus amore
Augustum hoc illis addidit omne decus.
Vtq; olim Aegeriæ lucos, fonteisq; sonanteis
Antiquum fama est sæpe adñsse Numam
Monte sub aerio: sic ille sonantia lymphis
Antra adit, atq; colit numina sancta loci.
Inde e colloquio nymphæ, diuumque reuersus
Sancta suis dicit iura sacer populis.

POMPEIO A COLVMMA CARDINALI

IMperñ columen solido ex adamante Columna,
Namque immota tuis sedibus una manes.
Procubuere aliæ late, stragemque dedere,
In te quod supersit omne recumbit onus.
In te fulua Iouis, si quando est fessa, quiescit,
Et firmam sedem nobilis ales habet.
Excipit hanc alte insistens uasta ægide Pallas,
Aeternum a uestra quæ dea culta domo est.
Ingenñ armorũq; decus dea, quæ decus omne
Vna dedit uestræ, quæq; dabit domui.
Viue Columna potens, quam nulla euertere possit
Vis mala, non si te Iuppiter ipse petat.

Abſtulit huic fulmen uolucrũ regina, & in hoſtem
Ex alto uictrix fulminat illa tuum.

CARDINALI FERNESIO.

AN nè etiã hoc auſi ſumus? at certe ſumus auſi
Cenſuram princeps docte ſubire tuam.
Ingenij teneros fœtus mea ruſtica Muſa
Non uerita eſt nuper dum recitare tibi.
Hoc erat inſuaues ululas, atque anſerem olore
Iudice ſub niueo perſtrepere ore rudi.
Sed bene habet, ſumus elapſi atq; fefellimus, aures
Sed tam purgatas fallere quis potuit?
Non ego, non quiſquã, pietas te ſancta fefellit,
Dum ſecum apta ſibi dignaq; uerba trahit.
Quæ mea ſunt inculta uides, tibi at iſta uidentur,
Dum pia, ſint quãuis non bene culta, bona.

CARDINALI CIBO.

SVnt equidem, ſunt fata, deũ ſtat certa uolũtas,
Lucida habent uires ſydera & ipſa ſuas.
Nam quoties princeps, cũ te tua Felſina haberet,
Felſina delitijs conſcia docta meis,
Ipſe meas ſupplex Muſas Phœbumq; rogaui,
Vt mihi conanti teq; tuamq; domum,
Ardua ſublimi ferre uſque ad ſydera cantu,
Præſenti faciles numine adeſſe uelint?

Cũ ſubito ante alios pulchra, & doctiſſima nobis
Calliope ſacro rettulit ore dea.
Non hac fata ſinunt iuuenis te dicere in urbe
Virtutem egregñ principis, atque decus.
Tu magna Heroes melius celebrabis in urbe,
Non capit exiguus nomina tanta locus.
Magnã urbẽ attigimus, ſed me mea fata gubernãt
Et celer ad patrios cogor abire lares.
Felicem at reditum ſperamus, & omnia læta
Quam primum, & ſtudñs otia grata meis.
Pauca tui memor hæc ſubito pro tempore dixi,
Quæ potui, ſed non dicere quæ uolui.

IOANNI MATTHEO GIBERTO EPISCOPO VERONENSI.

HErboſo nupèr Benaci in margine amœni
Roſcida ſollicito contigeram antra pede.
Alme pater dixi, iuuenis nunc numine dextro
Cœpta iuues quæſo, grandiaq; orſa tui.
Giberti in laudes ducuntur carmina, nunquid
Auribus agnoſcis nomina grata tuis?
Sic ego, cum ſubito emergens ſpumantibus undis
Iſta mihi ſacro rettulit ore deus.
Quid facis o iuuenis, maioraq; uiribus audes,
Ten melius Bembo dicere poſſe putas?

Attamen ille etiã hoc trẽmuit ſub ponderẽ, quãuis
Spirarent faciles in ſua uota deæ.
Sat tibi ſit tacitum uenerari hæc nomina, laudem,
Quam petis, hac ſola conditione feres.

IN SOCRATIS EFFIGIEM ACHATI inſculptam natiuis coloribus.

Diuini effigiem ſenis o quæ gemma uerendam
Aurea habes, rari quæq; decoris opus.
Sic longũ durent ſolida hæc tibi gaudia in æuum,
Ora tui ut ſpirent inuiolata ſenis.
Quæ manus hos potuit tã docta effingere uultus?
Dic mihi, nã uiſa es dicere uelle aliquid.
Nil certi norunt homines, tenebræ omnia celant,
An ne oculos fallũt tam quoq; aperta hominũ?
Quæ, niſi naturæ potuit uis certa potentis
Hæc mea tam miris exprimere ora modis?
Nonne uides caput omne nitor qui lacteus ambit,
Ille animi e puris fontibus exoritur.
Ignea uis animi faciem rapido igne colorat,
Et candor ueſtem, cæſariemque notat.
Ingenij ille ſui effigiem tibi donat habendam
Qui dedit, exemplum quodq; imiteris habes.
At tu ter felix iuuenis, quem munere dignum
Tam claro princeps maximus eſſe putat.

ALIVD IN EANDEM EFFIGIEM.

NE dubita, uiua est facies quã conspicis: atqui
Non loquitur, uocis atque sibi usus abest.
Inuidisse deos operi, artificisq; potenti
Ingenio noris, nec uoluisse pati
Humana effigiem uiuam procedere ab arte,
Vtq; uides collum surripuere operi.
Dicenti similis gemma in spirante mouetur
Illa quidem, uocis sed sibi adempta uia est.

NICOLAO A SCHONBERG ARCHIEPISCOPO CAMPANO.

ME mea fata trahũt princeps, dulcesq; necesse (est
Me magnæ Italiæ linquere delitias.
Hoc quoq; fortunæ licuit, dũ me improba egestas
Musarũ placidis abstrahit a studñs.
Sed me quãprimũ reducem pia Roma uidebit,
Et mea forsan erit res meliore loco.
Tunc melius princeps nostris cantabere Musis,
Ingeniumq; tibi seruiet omne meum.
Viue memor nostri interea pater optime, & istud
Exiguum nostri pignus amoris habe.

Te dulci in patria abſentis nō immemor unquam
Sole oriente canam, ſole cadente canam.

PAVLO STRIGONIENSI ARCHIEPISCOPO.

CVm tua te uirtus, diuiſque, & rege fauente,
Inter pontifices altius extulerit.
Quæq; prius docto Zalcani in uertice fulſit,
Illa tuum exornet infula ſancta caput.
Quam bene diſpenſant meritis ſua munera diui,
Succedis digno quam bene Paule uiro.
Ille erat ingenio, nulli aut uirtute ſecundus,
Eloquio huic nullus, conſilioue prior.
Hæc quoq; Paule tuæ ſunt alta inſignia laudis,
Tu decora illius, illaq;, & illa tenes.
Ille ſacer Phœbi, & Muſarū erat ille ſacerdos,
Curaq; erant uates, delitiæq; ſuæ.
Quos & diuitijs, claris & honoribus auxit,
Quos coluit ſancti numinis ille loco.
Vrſinum ante alios, Vrſini nobile carmen,
Ingeniumq;, uiro numinis inſtar erat.
Te cytharæ, cantuſque iuuant, tē carmina, nempe
Sacra ſuum a Muſis Muſica nomen habet.
Quam tamen hic uixit, uiuas meliore precamur
Fortuna, Pilij tempora uiue ſenis.

IOANNI FABRO.

Docte Faber multũ pietas quem sancta, diuq;
Sollicitũ, & Christi relligio alma tenet.
Tu licet usque uigil tua pastor ouilia serues,
Dum sacro errantes nectare pascis oues.
Raptores te te usq; lupi rabido ore lacessunt,
Atq; uago rapiunt de grege semper oues.
Tu modo fac perstes Christo duce: nãq; ꝑphanos
Malleus ingenñ conteret ille tui.
Ille pñ regis diuino numine pectus
Securum illustrans te iubet esse metus.
Sit res magna licet, sit duri plena laboris,
Aspera uirtutis nam solet esse uia.
Illius auspicio, tantaque sub ægide tutus,
Herculeis uinces impia monstra modis.
Digna quidẽ a superis te expectant mũera, ab illis
Ferre solet magnus præmia magna labor.

ANTONIO MENDOSSAE.

MAgnanimo quoniam regi cũ te duce primũ
Cognitus, & fuerim conciliatus ego,
Auspice te Mendossa, trahunt ea fila sorores,
Iam tandem & uotis annuat ille meis.
Sic precor eueniat tibi debita & æqua roganti,
Vt nunquam fiant irrita uota tua.

GVILIELMO A TRVCKSES MAGISTRO EQVITVM.

PAcis, & armorũ præſes cũ Pallas honore
Te gemino illuſtret, cũq; ſuo alma Themis.
Quã bene cõueniũt ſtudia hæc cũ moribus æquis
Magnanimi regis, & Guilielme tua.
Scilicet ingenioq; potens, atq; inclyta in armis
Vtriq; hoc geminum dat dea & una decus.
Iuſtitiam alma Themis, tu cõſultiſſimus æqui es,
Iuſtitiam ante alios rex quoq; iuſtus amat.
Res igitur magnæ te conſultore geruntur,
Et tua ceu Phœbi conſilia alta ualent.
Sic olim magno Phœnix comes ibat alumno,
Atque domi, inq; fero Marte fidele caput.
Bellandi egregius Phœnix fandique magiſter,
Ore, animo, ingenio, uiribus, arte, manu.
Magnanimo hũc p̃ſtas iuueni, qui te duce Achillis,
Martis & ingenij uincit honore decus.

GEORGIO LOXANO AFFINI SVO.

LOxane in ſtudijs Muſarum dulcibus olim
Verſantem, & magnæ dulcibus Italiæ

Delitijs, quarũ fueras non ultimus author
Tu mihi, quod gratẽ nos meminisse decet.
Iuuisti sumptuque bonus, studioque fideli,
Fauistiq; meo iugiter ingenio.
Conditio mutata mea est, nanq; horrida ab oris
Italiæ, & Musis tempora me retrahunt.
Vitaque sollicita in regum mihi degitur aula
Arma inter duræ sæuaque militiæ.
His studijs quæsitus honos & gloria multis,
Atque meis, nec nos degenerare decet.
Mortuus est sonipes melior mihi nuper, in eius
Vt Loxane locum des mihi quæso alium.
Vndiq; ut agnoscã tua facta benigna, quod in mẽ
Officia extabunt Marte, togaque tua.

AD VENCESLAVM VILARTIVM.

NAtalem celebrat dum Venceslaus, adeste
O socij, & lætum concelebrate diem.
Ipse ego non adero, defit quia culta puella
His epulis, dulce est nil sine amore mihi.

AD CAROLVM CAESAREM AVGVSTVM.

IVre nouus Cæsar tibi maxime panditur orbis,
Inferior meritis nanque erat iste tuis.

DE EODEM.

CAesaris innectens uiridi dea tempora lauru
Gradiuo & Musis Cæsia Pallas ait.
Scilicet ingenij, facundæ & præmia linguæ
Victrices lauri, fortium & esse solent.
Cæsar in his æqua sed enim quia laude triũphat,
Quæ meruit geminæ præmia laudis habet.

AD REGEM FERDINANDVM.

TV graue seruitium Rex o fortissime regum
Europæ atque Asiæ finibus eĳcies.

AD EVNDEM.

OMnia fausta cano, duce te fortissime regum
Europæ dominus Turca Asiæq; cadet.

AD EVNDEM.

Phœbus ut est oculus cœli omnipotẽtis, & orbis
Conspicuum lumen, præcipuumque decus.
Sic terris quibus imperitat rex inclytus ipse
Pulchrum ornamentum est, conspicuũq; iubar.

Hoc quoq; perſimilis, ſol quod duodena pĕr aſtra
Vno anno curſum conficit ipſe ſuum.
Vno, & eodem anno, poſtquã data regna capeſſit,
Hic ubi larga ferox iugera Bæmus arat,
Pannoniam immanis auerſam fraude tyranni
Victrici aſſeruit ſub ſua iura manu.

AD STANISLAVM TVRSONEM Epiſcopum Olomucenſem.

IN ſua iam redĳt ueſtigia mobilis annus,
Trudit & una aliam lux fugitiua diem.
Tempus & ante uolat rapidis perniciter alis,
Et uix momentum eſt, quæ data uita homini.
Ante annũ, memini, tecum quoq; Turſo manebã,
Dimidium uitæ Turſo, decuſq; meæ.
Et modo, neſcio quæ, tibi me bona fata reducunt,
Quod precor ut fauſtum ſit mihi, ſitq; tibi.
Tunc ego muſarum cultor, & Apollinis almi,
Horrida nunc ſæui Martis in arma feror.
Vita prior muſis, lucernæ, & nota Lyæo,
Heu quantum Scythica diſsidet a pharetra.
Sed ſic fata uolunt, fortem tolerare iubebo
Hoc animum, forteis Marſq; Venuſq; iuuat.
Viue, uale interea longa digniſsime uita
Turſo pater, & ſint candida fata tua.

AD IACOBVM EPISCOPVM WRATISLAVIENSEM.

AN prosint, noceãtue magis tua mũera prĩceps
Quæ mihi sponte tua mittere grata soles,
Nondum constitui satis, & te iudice quæro.
Cur dubitem causas accipe utrinq; suas.
Nanq; mihi lepores, turdos dum mittis edules,
Perdicesque, auidos in mea damna cibos.
Quis tam sit fatui quæso, miseriq; palati,
Quem non ista iuuent? me quoq; & ista iuuãt.
Restituũtq; ægro uires, releuantq; iacentem.
Nunc audi qua me ledere parte queant.
Aegrotare diu cupio, dum talia mittis,
Et mihi lenta meæ cura salutis adest.
Priscus in hoc mecum sensisset Apitius olim,
Tu quoq; cum socijs docte Epicure tuis.
Non tamen iccirco mihi talia mittere cesses,
Sed quæ das ægro, des quoq; cum ualeo.

AD NICOLAVM GERENDI EPISCOPVM ALBENSEM.

TE ne magis, regẽ an potius iustũ, atq; bẽignũ
Laudibus in cœlum docte Gerendi feram?
Virtute eximia meruisti dignus honorem,
Doctrina, ingenio, dexteritate, fide.

Virtuti eximiæ tribuit rex iustus honorem,
Datque tuũ ut cingat insula sancta caput.
Et laude est rex dignus, & ipse, & quisqs honores
Largitur dignis, quiqꝫ meretur eos.

AD IACOBVM SADOLETVM.

FAma ingens late immensum tua fusa per orbẽ
Mi fuerat laudis nuncia prima tuæ.
Vicerunt famam ingenñ monumenta sed omnem
Et Musæ, o felix quas Sadolete colis.
Nunc etiã o mihi fausta dies, & sydus amicum,
Præsentem præsens alloquor, & uideo.
Et mores uere sanctos, uultumqꝫ benignum
Miror, & ingenñ flumina magna tui.
Omnia cum cedant famæ, tu uincere famam
Siue adsis, uel abes o Sadolete potes.

AD PAVLVM IOVIVM.

QVando erit illa dies magna discedere ab urbe
Iam tandem ut possim, dic mihi Paule Iouí.
Promittis large, cupidum at spe ludis inani
Hactenus, hoc liceat dicere pace tua.
Non me equidem magnæ cœperũt tædia Romæ,
Deqꝫ tua fixa est spes mihi certa fide.

Aeneadũ quid enĩ in terris iucundius urbe eſt?
Quid poſſit louiꝫ certius eſſe fide?
Diſcedo ut redeã, reditus mihi cauſa abeundi eſt,
Eſt mora longa nimis, eſt mora dura mihi.

IN EFFIGIEM P. BEMBI.

Effigiem Alfonſus Bembi ſic duxit in ære,
Tam ſimilis non ſit Bembus ut ipſe ſibi.
Eloquium magni Bembus Ciceronis & ipſe
Aemulus eloquio rettulit ante pari.
Felix amborũ eſt induſtria, gloria quamuis
Altior ingenium eſt reddere, quam effigiem.

PETRO MELLINO.

Hoc quoꝫ Sauromano acceptũ referemus (amico
Hoc meritũ in primis debet habere locum.
Inter tot proceres, & nomina magna uirorum
Hunc & Mellinum conciliaſſe mihi.
Mellinum egregium Romæ decus, atque dearum
Quæ gelidos fontes, & loca amœna colunt.
Aoniumꝫ nèmus, quas tanto larga poetæ
Vbera nutrices exhibuiſſe ferunt.
Inde etiam antiquis certãt tua carmina, & inde
Miramur faciles in tua ſcripta deas.

Quæ tu nẽ inuideas nobis Melline rogamus,
Adq; deas rectum dic mihi quod sit iter.
Mi tecum liceat montes ut adire remotos,
Et multam optato fonte leuare sitim.
Sic tandem æqua tuis faueat Venus aurea uotis,
Et te formosa mox dea prole beet.

DE VRBE VENETA.

IMplicitum æquoreæ specula de nubis aquosæ
Iuno Iouem nuper uidit amore deæ.
Et simul Hadriacis Venetã alte in fluctibus urbẽ
Conspexit domiti frena tenere maris.
Mota dolore dea est, urbemq;, & ditia regna
Dum stupet, hæc regnis sunt potiora meis,
Atq; ait, o charo licuit si nubere fratri,
Et Neptune meus tu quoq; frater eras.

ALIVD IN VRBEM VENETAM.

AVrea ab oceano remeanti in templa deorum
Iuno Ioui nuper iuncta erat alma suo.
Tunc late medijs dominantem in fluctibus urbẽ
Mirata, hæc tenui secum ait illa sono.
Si licuit fratris uetitum ascendisse cubile,
Atque ego Neptuni sum pater alme soror.

MARTINO KECHETINO EPISCOPI AGRIENSIS NEPOTI.

PErfectum fore dixit opus, omniquẽ rotundum
Parte, Anyti quondam non reus ille reus,
Ex animo cum quis cœpisset uelle, bonæq;
Virtutis cupidum quem retineret amor.
At tu cum longas studijs, pulchroq; labori
Des simul & noctes, & Kechetine dies.
Aoniumq; ingressus iter per amœna uireta
Aonidum ardentes tam bene flectis equos.
Cumq; tibi princepsq; chori, duxq; ipse sororum
Tam faueat Phœbus, tam faueantq; deæ.
Quæ tibi Vernerum in dulci & uernante iuuenta
Certum ad sacra sua constituere ducem.
Vernerum ingenio, & tã cultis moribus, illum ut
Et Phœbum & Charites olim aluisse putem.
Cui non optima de te spes concepta maneret?
Quis non perfectum te fore cernat opus?
Quis non illustrare genus patriamq; putabit
Te Kechetine tuam, te Kechetine tuum?
Ante diem hinc merito tanto es dignatus honore,
Teque anus in cœlũ post modo fama feret.

DE RVRE IOANNIS FELESINI Bononiensis, cui Ceredolæ nomen.

SIrius arenteis cum finderet igneus agros,
Et pluuiam supplex posceret herba Iouem.
Iucundo hospitio Felesini exceptus amici,
Quo nemo in terris dulcior esse potest.
Hic Logus Aonidum cultor uiridante sub umbra
Captabam frigus mobilis aura tuum.
Delitiasque inter uiuebam ruris amœni,
Ipsa suum nomen cui dedit alma Ceres.
Nanque hic præcipue flauis exultat aristis,
Et spicis implet horrea lata suis.
Fœcundæ Cereri pater ipse Lyæus honorem
Hunc habuit, quamuis floreat hic melius.
Ipse meũ in dominũ, inq; locũ, ut testarer amorẽ,
Hoc ruri carmen & cecini domino.

AD NYMPHAM RHENI BONONIENSIS.

NYmpha sacri fontis custos, quæ flumíe in isto
Casta habitas, castis & tua lympha patet.
Incolumem serues quæso mihi diua puellam,
Laura tuis quando nostra lauatur aquis.
Fluminis atque tui uitreis dea lucet in undis,
Et niueum nitido corpore uincit ebur.

Sic tua perpetuos gignant tibi littora flores,
Atque tuum æternis flumen abundet aquis.

AD BONAM MARIAM SARMATIAE REGINAM.

MAgnanimi coniux Marie pulcherrima regis,
Vsque adeo Scythicũ quem timet omne genus.
Sarmata quẽ fortis dominũ uocat, atq; parentem,
Præsentem in terris quem putat esse deum.
Mortales certe ingenio, formæque decore
Sydereo uincis. Quæ dea missa polo es?
Num Venus es? certe Veneris lasciua figura est,
At pudor est tenero castus in ore tibi.
Num Pallas? sæua horrificã quatit ægida Pallas,
Tu formam placidis moribus æquiparas.
An ne es Iuno potens? Iras exercuit olim
Addita semideis Iuno superba graues.
O quam te memorem regina deumue, hominũue,
In te unam quando confluit omne decus?
Queis Venus, & Iuno, queis Pallas nanq; nitebat
Corporis, atque animi dotibus, una nites.

AD AMICVM.

NOn magnus, fateor, tecum fuit usus amici
Ante mihi, & primos ultimus inter eras.

At nunc præcipui præstas quod munus amici
Atque ultro in dubijs fers mihi rebus opem,
Non tam dona mihi tua sunt, quam grata uolũtas,
Et tam synceri pectoris officium.
Quiq; mihi in primis fueras postremus amcis,
Nunc merito in primis, tu mihi primus eris.

AD HELENEN MANTVANAM.

MArtia qua immenso late patet arẽa campo,
Et Mausolæi uasta ruina iacet.
Pulchrã Helenen uidi uincentem sydera uultu,
Et fronte, atque oculis, purpureisq; genis.
Mars pater ipsa tuos quando Venus aurea cãpos
Incolit, hanc sine te dic mihi cur uideo?
At tu seu Hispani fortes, Germaniaue ingens
Te retinet, magnus seu modo Cæsar habet.
Huc tãdem properes, quid eni tua uota moratur?
Nam tuus hic paulo post quoq; Cæsar erit.

AD VENTOS IN ARCE STA-
nislai Tursonis Episc. Olomucen.

IMmites uenti tanto quid turbine in arcem
Impositam aerijs montibus irruitis?
Non hic Tyrrhenum Iunoni inimica fatigat
Gens mare, Neptunus nõ Ithacum insequitur.

Sed ſacer heroeſque inter mitiſſimus omnes
Turſo habitat, mites ledere uos ne iuuat?
At ſi tanta animo eſt ueſtro ſæuire libido,
Et uos Hippotades ſi iubet iſta pater.
Gens inimica bonis, & Chriſti legibus almis
Ionium innumera nunc tegit omne rate.
Sumite uim uenti, pelagoq; immergite puppes,
Quid iuuat immeritis arcibus eſſe graues?

AD VICTOREM GAMP. IVRECONSVLTVM.

TAnta tua eſt bonitas, tã pulchra modeſtia Victor
Tam ſyncera fides, candida tamq; anima.
Sanctarũ ante alios legum doctiſſime Victor
Tamq; pio ſtudio iuſq; piumque colis.
Nec ſtatuiſſe tibi mos eſt, ſed tollere lites,
Maior enim eſt æqui, quam tibi iuris amor.
Hæc olim Serui fuerat, hæc inclyta Pauli,
Laus hæc Galle tua, Sceuola docte tua.
Vt te unum cunctis deceat præſcribere leges,
Debeat ut nullus ponere iura tibi.
Omnibus idem animus talem ſi ducere uitam,
Siq; tui ſimiles moribus eſſe uelint
Condere nil ſit opus tã uaſta uolumina legum,
Cuiq; ſui mores condere iura queant.

MATTHIAE AVCTO MEDICO.

QVod tecum medico, mihi poetæ,
Qualicunque quidem, tamen poetæ,
Felici medico Aucte, & erudito
Pulchre conueniat, quod usque, & usque
Mutuis animis amamus, illo
Quem nullum perimat calore tempus,
Festiuissime, mique dulcis Aucte.
Docti numen habent suum poetæ,
Magni numen Apollinis poetæ,
Et Phœbus quoque filiusque Phœbi
Coluntur medicis simul peritis.
Hæc me conciliant tibi, mihi te,
Hæc communia sacra, dñq; ñdem,
Et morum tua grata candidorum
Meretur series bonorum amorem,
Omni qui uigeat perennis æuo,
Vatum dum fuerit pater bonorum,
Et numen medicis simul peritis
Phœbus, o bone, filiusque Phœbi.

IN PICTVRAM SPEI, HADRIANI VILHARCII.

VT uotis potiare tuis, spes dulcis inani
Ne spetie illudat ceu leuis umbra tibi

Quod liceat ſperare uelis, ſpes ſemper amœno
Nec tibi quod uultu eſt, crede fidelis erit.
Spes ridet curas hominũ, & nimis anxia uota,
Arridet, ſi quis quæ licuere, cupit.

ALIVD.

IAm mihi quæ curis hominũ dea gaudia miſces
Spes bona (nanq; potes) iam meliorq; ueni.
Vmbra prius fueras, nõ iã umbra es, uiuida imago
Ex umbra artificis ſed modo facta manu.
Olim animo, nũc te manibus cõprehendere fas eſt
Inuitam poſſem cogere ſi libeat.
Parce dea, imprudens certe tua numina leſi,
Ipſa oculos ſed non luſit imago manum.
Cum uideo nõ umbra mihi, ſed uiua repente es
Viſa mihi, ſed te cum tetigi umbra mera es.
Et ſemper fallis, ſimul & dum corpus & umbra es
Eſſe adeo an nunquam nõ leuis umbra potes?

AD EVNDEM.

O Charos Hadriane inter mihi prime ſodales
Dimidium quando es pectoris ipſe mei.
Quæ dubijs quæ nam oro petam ſolatia rebus,
Et ferat afflicto quod mihi numen opem?

Atque equidem noſtri es tu conſcius ipſe doloris,
Quantũ alias nũquã ſors modo acerba mea eſt.
Conſiliũ at potius a quo ſpemq; æquius optem?
Quam cuius uoluit ſpes colere alma domum.
Quæ meritis ut digna tuis tibi premia præſens
Spondeat, ipſa tuos diua lares adñt.
Sollicito & quiſquã melius mihi conſulat alter,
Quam qui iura hominũ nouerit atque deum?
Pierñſq; immiſta deis ad quem aurea uirgo
Aſtrea, in terras lapſa polo redñt.
Hinc nos conſiliumq;, & opem in te ponimus uno
Hæc tua pollicita eſt ſpes rata uota mihi.

VOTVM AD SPEM HADRIANI.

Si mihi propoſitum dederis contingere uotum
O dea quæq; homines alma foueſque deos,
Turſonum ut nomen dignis bene laudibus ornem
Magnorum, uſque tuo numine uectus ego.
Non modo flore tuam ſertiſue ornabo tabellam,
Quam meus hic docte pictã Hadrianus habet.
Nec tantum Aſyrios adolebo caſtus odores,
Et tibi erit noſtra uictima cæſa manu.
Thyrſiger at Bacchus uires & magnus Apollo,
Sis noſtro ut digne carmine culta, dabunt.

Adſis o ſpés alma, tuus tẽ cultor olympo,
Atq; ſuũ in gremium Felſina pulchra uocat.

AD TESTVDINEM SVAM.

DVlces o numeri, quiq; in teſtudine nerui
Increpiti ſuaues mittitis uſque ſonos.
Vos animos hominũ cura releuatis ab omni,
Aureus & per uos conciliatur amor.
Formoſæ iuuenis placiturus quando puellæ
Impellit docta fila canora manu.
Arma iuuent alios, & tympana rauca, tubæq;,
Me cytharæ, & cantus, me Venus alma iuuat.

IN DISCORDIBVS NERVIS SONANTEM.

THreitius quondam blanda teſtudine uates
Indomitas fertur detinuiſſe feras.
Et celeres mouit cantu delphinas Arion,
Saxaq;, cum celſis & nemora alta iugis.
Has uires numeriq; habuere, fideſque ſonoræ,
Atq; manus dulces elicere apta modos.
Attamen hos illi concordi ex ordine uocum
Conſimiles neruis elicuere ſonos.
At nos concordes, diſcordi ex ordine uocum,
Diſſimiliq;, pares reddimus arte modos.

Sic etiam discors concordia iungit amantes,
Sæpeque amicitias indomita ira parit.

AD SORORES.

O Dulces geminæ meæ sorores,
O dulces animæ meæ gemellæ,
Formosæ teneræ, atque delicatæ,
Honestæ, atque bonæ meæ sorores,
Felicesq; adeo meæ sorores,
Quibus munera tanta, totq; dotes
Afflarunt superi, boniq; diui,
Dotes ingenñq;, corporisque,
Pallas, & Cytherea, Gratiæq;.
Quæ me conciliant amore uobis
Non fratris modo, sed pñ parentis,
Qui uos plus anima sua usque amaret,
Vel si quicquam anima est magis amandum.
Hoc pudor tener ille, castitasque,
Exculti, lepidi, probique mores,
Hoc candor niueusq;, & illa forma,
Quæ magnas potuit decere diuas,
Meretur, simul & fidele pectus
Erga me, atque pios simul parentes,
Fratresq; unanimos: bonæ sorores
Castæ uiuite uos, & integellæ,

Aeternum & memores ualete noſtri,
Valete egregiæ diu puellæ,
Ter ualete bonæ meæ ſorores.

IN PICTVRAM ADAMI ET EVAE.

FElices rami, frondoſi & germinis arbor,
Queis licuit tanta commoditate frui.
Atq; ambire femur primæ iuuenile puellæ,
Et uiridi tenerum fronde operire ſinum.
O ego tunc arbor tam felix natus ut eſsem,
Tegmine & illa foret molliter uſa meo.
Atſi non hominem licuit poſt talia naſci.
Tunc arbor uolui, nunc nihil eſſe uelim.

AD CHAROPEAM.

MEn fugis Charopea, me ne amantem?
Tun me deſpicis, & fugis ſequentem?
Non ſum, non ego quem ſuperba temnas.
Et cultæ cupiere me puellæ
Formoſum ſatis, & ſatis uenuſtum,
Doctumq;, ingenuumq;, nobilemq;,
Puro pectore, moribuſq; cultis.
Si te noſter amor nihil moratur,
Nil dotes animiq;, corporiſq;,

Saltem ledere tu deos caueto.
Pœnis nam afficiunt ſuperbiores,
Et quæ non redamant bonos amantes.
Daphne dum fugeret ſuperba Phœbum
In latos abijt ſuperba ramos,
Quæque amor fuit, acris eſt amaror.

IN LECTOREM SEVERVM.

QVid tãtũ inſultas noſtro inuide liuor amori?
Meq; mei ſimilem moribus eſſe uetas?
Sum iuuenis, decet hoc iuuenẽ, ſum deniq; uates,
Dic mihi, nam uatem quid niſi amare decet?
Conciliat Phœbum tenero Venus alma poetæ,
Calcar & ingenij eſt ipſa puella mei.
Iſta legent iuuenes, & doctæ ſcripta puellæ,
Agnoſcetq; ignes lætus uterq; ſuos.
At ſi quis adeo eſt durus, nimiumq; ſeuerus,
Aut legat iſta licet carmina, ſiue tegat.

AD IACOBVM A SALZA EPISCOPVM VRATISLAVIENSEM.

SEria mittebam princeps tibi carmina, quando
Fluctibus in medijs iam tua puppis erat.

At posquam lætis portum tenet alta coronis,
Et nunc in tuto est firma carina loco.
Læta damus merito tibi carmina, lætus Apollo
Ex æquo nobis conuenit atque tibi.
Læta tui poscunt euentus, noster & ipse
Gaudia lætus amat, tristia damnat amor.

AD EVNDEM.

DOctus undique sit licet Catullus,
Lasciuus nimium, & parum pudicus,
Quamuis maximus esset imperator,
Cæsar, & sacer ipse, pontifexq;,
Legit Iulius attamen Catullum.

AD HADRIANVM VILHARTIVM.

(las.
LEucothoen ego amo ante alias Hadriane puel
Leucothoe ante alias me fugit ipsa tamen.
Quid si ego Leucothoen fugiã, nũ rursus amabit
Illa, & mutata mi uice mitis erit?
Nec dubito fiet: nanq; est mos iste puellis,
Dum cupias fugiunt, dum fugias cupiunt.

IN AMOREM.

INdomito quamuis nihil eſt uiolentius igne,
Attamen eſt omni ſæuior ignis amor.
Ignis edax etenim liquidis extinguitur undis,
Et nihil abſenti lucida flamma nocet.
Orta ſalo Venus eſt, medijs amor ardet in undis,
Et ferus abſentem ſæuius urit amor.

EPIGRAMMA HOSPITALE ROMAE SVB INSIGNIBVS.

HOſpitij pro iure boni, meritiſq; benigni
Hoſpitis, hic tenui ſumptu ſua ſigna locauit
Aonidum cultor Logus, at ſi grata benigni
Clementis reduci ſpirauerit aura, manebit
Gibertiq; mei ſolitus fauor, aurea ponam.

IN ARCEM CAROLI PRINCIPIS SILESII.

AUguſtæ quã pulchre arcis noua mœnia ſurgũt
In uaga quã ſe altum ſydera tollit opus.
Quæ moles circum foſſarũ atq; aggeris alti,
Non ipſum debent iſta timere Iouem.
Omnia magna eqdẽ, ſed priceps maximus ipſe eſt
Qui cœlo immenſum Carolus æquat opus.

ALIVD.

NE turbere hoſpes quiſqs noua mœnia & arcẽ
Arcis & inuictæ nobile cernis opus.
Si bonus es, cõfide, malis hæc dira minantur
Hoſtibus, hoſpitibus ſunt loca tuta bonis.

IN AEDEIS IOANNIS COPPI MEDICI.

QVam lepide ornata eſt modo quæ deſerta iacebat
A que illa quantum diſſidet iſta domus.
Areaqꝫ immundo nuper quæ ſordida fimo,
Delitias urbi nunc facit, & domino.
Dũ grauida autumni eſt, teneri dum ueris honore,
Floribus, & pomis, & uiridante ſolo.
Digna domus domino, atqꝫ idẽ digniſſimus illa eſt
Immunem hanc princeps Carolus eſſe iubet.
Huius quã medicus celebri cognomine Coppus
Extruxit cura Ianus & ære ſuo.

IN AVLAM PRAETORIS VRBANI VIENNAE.

HAnc aulã modo quæ rudis, atqꝫ inculta manebat
Et longo iacuit ſquallida, & atra ſitu.

Iura iſti Prætor dum Paulus diceret urbi,
Tam lepide ornauit atque ſibi, atque ſuis.

IN AEDEIS PHARMACOPOLAE OLOMVCENSIS.

PHarmaca Iacobus Nilo atq; oriente petita,
Lectaq; de uarijs optima quæq; locis,
Queis ferre auxilium præſens mortalibus ægris,
Morborum & poſſis omne leuare genus,
Magnifica hac ſapiens cuſtodit in urbe, domo q;
Egregia, quæ oculos detinet una tuos.
Non alia decuit quã tali hæc pharmaca condi,
Non alia decuit illum habitare domo.

AD G. VERNERVM ET VALENTINVM ECCHIVM.

COncordes animæ, optimi ſodales,
Cultores lepidi nouem ſororum,
Atque ijdem ueteres mei ſodales,
Vernere optime, tuq; noſter Ecchi,
Exempla o fidei, bonique amoris.
Ecquid uos lupus ille, carnifexq;,
Ille erro fugitiuus, & ſceleſtus
Vexat, ah toties repulſus exul,

Latro perfidus, & ſuorum Erynnis,
Fidens uſque fugæ, rapax lupus ceu,
Quem campo modo nactus in patenti
Venator fugat, atque fundit audax.
Sed laus hæc erit urbium perennis
Veſtrarum, & memori uigebit æuo
Vernere & tua laus, tui & ſodalis.
Veſtra nanque opera, & pio labore,
Auſu, & conſilio, & pio fauore
Erga illos, patriam, inclytumq; regem,
Lupo fortiter obſtitere, & hoſti
Fugaci trepidoq;, perditoq;.
Illum cum grege turpium latronum
Perdat Iuppiter, atque dñ, deæq;.
Vos ualete boni mei ſodales,
Concordes animæ, optimiq; amici.

AD ANTONIVM MELAM.

TV quoq; certa uenis patriæ & noua gloria no-
(ſtræ
Aonñ cultor candide Mela chori.
Te quoq; iactabit ſe culta Sileſia alumno,
Te modo propoſita ſic iuuet ire uia.
Fœcunda ingenñs, fœcunda Sileſia claris
Vatibus, & Cereri terra adamata bonæ.

Quare illam uirtute tua ſic iugiter ornes,
Hæc decus,hæc uitam nam dedit ante tibi.

AD STEPHANVM NIGRINVM.

AH duro nimium feroque corde,
Et ſanctæ fidei, datæq; dextræ
Nigrine immemor,& tui ſodalis.
Quid, me ſic uiduas iacere noctes
An te non miſeret,piget,pudetque,
Nec te noſter amor mouet,preceſq;
Nam te cum tenera cubare amica
Coniunctum loquitur meo cubile,
Caute diſſimules licet,ſed illud,
Quamuis ſit tacitum cubile,& ipſa
Produnt baſia,morſiunculæq;,
Et clamant quoq; mutui cachinni,
Quaſſati & ſtrepitus ſimul grabati.
At tu pollicitus meros amores,
Quos mi proſtituas,meoque peni,
Spe ludis miſerum uſq;,& uſque inani,
Cauſas nectis & uſque differendi,
In longumq; trahis meos furores.
Quare oro rabiem ciere amantis,
Tandem deſine,conſulaſq; amori,

Et desyderio meo impotẽti.
Aut tu passeribus, simulq; onagris
Vernis, nil rabiosius uidebis.

AD THOMAM NADASDENVM.

NAdasdene Iouem testor rectumq; piumq;,
Pauperior nunquã, quam modo, quod fuerim.
Temporibus duris, recolens quæ horresco, tulisti
Vnus opem ipse tuo nã quoq; sponte Logo.
Sumptum pollicitus communiaq; omnia tecum,
Hoc tu nunc præstes ergo rogatus opus.
Aureolos sex crede mihi, quos tẽpore certo
Atq; fide certa grate ego restituam.
Aureolos centum seruat mihi fida Vienna,
Qui ut mihi mittantur littera missa mea est.
Vltro pauperior mihi quod deferre solebas,
Præstiteris melius ditior officium.

AD REGEM FERDINANDVM.

ALcidæ cœlum patuit dum fortibus ausis,
Inuicta & domuit horrida monstra manu.
Sic modo quod placida populos in pace gubernas
Regna tua a monstris quodq; tuere malis.

Pro meritis rex magnæ tuis, obq; ardua facta,
Post obitum ætherei te manet aula Iouis.

AD IANVM LVCIVM BRASSICANVM.

MI cultissime Brassicane, quando
Tam Logum ex animo colisque, amasque,
Et famam celebras meamq; Musam,
Culto carmine multum & eleganti,
Quo Musam tua sic meam usque honorat,
Quamuis illepidam, rudem, impolitam,
Diserta, & lepida, elegans, rotunda,
Gratias agimus tibi perennes
Ipse ego, & mea culta sic Thalia,
Nosque olim memores uterq;, forsan,
Te grata uice cum tua Thalia,
In cœlum quoq; uersibus feremus,
Non sic illepidis, sed expolitis.

AD THAIDEM.

QVod formosa nites alieno picta colore
Thais, ob hoc certe non mihi crede places.
Nam simulata nequit uerum dare forma decorem
Naturæ ficta est pulchrius arte decus,

IN QVENDAM.

Miraris cur te uitem, cauſamq; rèquiris,
Eſt breuis, at certe non mihi cauſa leuis.
Vnica diſiungit nos littera, nanq; moleſtus
Tu nimis es, nimium ſumq; modeſtus ego.

IN RANVLAM ELECTRO INCLVSAM.

SVccina in Oceani labentem fluctibus undæ
Implicuit ranam gemma coacta leuem.
Sic quæ uiua fuit leuis & contẽpta, ſepulchro
Poſt obitum cœpit nobilis eſſe ſuo.

AD ROSINAM.

COllum candidius tuum liguſtro,
Cygnea nitidum magiſque penna,
Et gratis Veneri albius columbis,
Formoſis Paphiæ & deæ papillis,
Et bello pede Thetios nitentis,
Creta, marmore, floribuſque uernis,
Intacta & niue, liliȝs & albis,
Et quos oceanus lauit lapillis,
Et plus nomine quod tuo niteſcit,

Ornasti niueis Rosina gemmis,
Vt quam tu niteas magis doceres.

IN PICTVRAM SEPTEM PLANETARVM.

SAturni inuenies, cui sydus triste, seueri,
Barbaq; longæui fors placet hirta dei.
Ipse alios tenet insigni Mars ense superbus,
Et sunt quos rapidis sol tenet altus equis.
Iuppiter & uultu placido pulcherrimus omnes
Detinet, hoc idem quod deus ales agit.
Atq; alijs est uisa decens intacta Diana,
Dum sequitur celeres per iuga summa feras.
Quisq; suum laudet, sed sunt quæ dicere uellem,
Nec bene dissimulo, me Venus alma tenet.

AD THELESINAM.

CAndida circundant niueæ tibi pectora gẽmæ,
Vt doceant niteas quam Thelesina magis.

DISTICHON.

NEptunũ immerito culpat, sinuosa profundo
Committit fracta qui rate uela prius.

DE SEIPSO LOGVS.

INgenium natura mihi, moresq; benignos
Indidit, heu nimium sumq; fidelis ego.
Asperitas inuisa alijs, moresque siniſtri,
At mihi simplicitas damna fidesque tulit.

IN EFFIGIEM LEDAE.

DVlce canit Cygnus moriẽs, & amabile carmẽ
Et mulcet blando triſtia fata sono.
Huius at implicitam Ledam candentibus alis
Credibile eſt omni dulcius ore queri.

IN AMICITIAM.

IVnge pares in amore tibi, si uincula dulcis
Quæris amicitiæ firma manere diu.

EPITAPHIVM LVDOVICI
Pannoniæ & Bohemiæ Regis.

CRudele, ah nimium, nimium rex magne luiſti
Supplicium, ante diem quod peperere deæ,
Immitiſque tibi & nimium Mars sæuus in armis,
Fauit enim diris hoſtibus ille nimis.
Excuſſum quadrupes te nanq; paluſtribus undis
Heus ferus inuoluit, in tua fata ruens.

Aeternũ at iuuenẽ Ludouicũ hæc fama manebit,
Pro patria in patria non timuiſſe mori.

IOANNIS TVRSONIS EPISCOpi Vratislauienſis Epitaphium.

TVrſonis cineres magni, & mortalia membra
Iſte habet & ſacri principis oſſa locus.
Pro meritis ſuperum ſedes, cœlumq; beatum
Mens habet, immenſo uiuit in orbe decus.

ALIVD.

HIc ſitus eſt Turſo magnus, quis cætera neſcit?
Hunc uolui ut ſcires & uenerere locum.

GEORGII TVRSONIS SENIORIS EPITAPHIVM.

DIues opum, diues ſobole, & uirtute beatus
Natorum, ſenior Turſo ſuperſtes erat.
Poſt obitũ at longe ditiſſimus eſt, quod in alto
Hoſpitio cœli diuitis ipſe habitat.

ALIVD.

TVrſo opibus ſenior, ſobole, & uirtute beatus,
Hoc uolui ne ſis neſcius, hic ſitus eſt.

EPITAPHIVM BORNAMISSAE.

COruino ante alios regi chariſſimus olim,
Atq; domi,atque foris, fidus,& uſque bonus.
Quem Ladislaus, regno qui deinde potitus,
Egregium uſq; habuit magno in honore ſenẽ.
Te tamen ante omnes iuuenis Ludouicus amauit,
Qui tuus in uita dulcis alumnus erat.
Qui poſtquam aduerſo perñt ſub Marte, iacetq;,
Non fuit in uita uiuere dulce tibi.
Non tamen ante,nouo patriæ quam rege creato,
Hic amor in patriam uel morientis erat.

ALIVD.

COruino uenerande ſenex gratiſsime,& illi
Proxima qui regni,te duce,ſceptra tulit.
Huius & hinc nato,nam te Ludouicus amabat,
Qui tuus in uita dulcis alumnus erat.
Quo miſere extincto aduerſo ſub Marte,tibi omnis
Extinctus uitæ eſt qui prius ardor erat.
Non tamen ante,nouo patriæ quam rege creato,
Labentem & moriens ut patriam erigeres.

GEORGII SAVROMANI SILESII EPITAPHIVM.

NIl uitã moror ingratã, te, te, heu mihi adẽpto
Sauromane, o noſtræ maxima pars animæ.
Quos animos, quantũ eloquñ, quantũ illa leporũ
Vrna tenet, quæ te dulcis amice tenet.
Florebas Roma incolumi, tuaque inclyta uirtus
Enituit, Roma deficiente, iaces.

IACOBI A VILHARTICZ.

IAcobi cineres Sophia cum coniuge adempti,
Qui fuerat uiuis, nunc quoq; iunxit amor.
Immatura, licet centum ſuperauerit annos,
Mors huius cunctis uiſa & iniqua fuit.
Hunc nati tumulum charo ſtatuere parenti,
Egregium egregñ, pro pietate ſua.

IOANNI FILIO.

ANte diẽ Lacheſis per florida prata uaganti
Immiti abrupit ſtamina ducta manu.
At dea dum nociuiſſe putat me iuuit, amœni
Delitñs quia nunc perfruor Eliſñ.

VALENT. CLEMENTIS. OLOMVCENSIS.

INgenio iuuènem insigni, & uirtutè potentem,
Hocce Valentinum nobile marmor habet.
Ingenñ ille sui est dictus cognomine Clemens,
At non huic clemens impia parca fuit.
Quæ misero ante diem, dulcisq; in flore iuuentæ
Immiti heu rupit stamina ducta manu.

MATRONAE OLOMVCENSI.

ANte diem ah rapior, teq; o charissime coniux
Destituo, grauius quod mihi morte malum.
Commendo ergo duas patri moritura puellas,
Dulcia quas nostri pignora amoris habes.
Forte aliqua & matris referet formam ore pudico,
Quæ uos immemores non sinet esse mei,

LASTAVRI.

VItam in delitñs Genio indulgente peregi,
Sectatus mores docte Epicure tuos.
Ista meis Lastaurus ego post fata reliqui,
Dum uixi, uixi molliter atque bene.

EBRIOSI.

POtor inexpletus quidam nocteſque dieſque
Pocula ſiccabat dulcis Iacche tua.
Nũc quoq; apud manes iuſsus pro crimine pœnã
Iudicio eſt Minos iuſte ſubire tuo.
Vt Danai æterni proles damnata laboris,
In caua ſic ſtygias guttura potat aquas.

ALIVD.

LAſtaurum poſtquã rapuerũt fata ſub umbras
Impia, & ante diem fila ſecans Lacheſis.
Interiere ioci, riſus, ſtudium q; bibendi,
Potaq; non minuunt dulcia uina ſitim.
Quod lætum ante fuit mœror, ſunt ſeria ludi,
Dulcia quæ fuerant ſunt & amara modo.

ALIVD.

HEus ſocij lætus iacet hic conuiua, rogatq;,
Dulcia quiſquis amas pocula, ſiſte pedem.
Aſt ego non alijs fueram tam grata locutus,
Hinc procul actutum quiſq; ſeuerus eat.
Forſitan expectas nomen me dicere, dicam
Ignoto, longe hinc aduena ſi quis ades.

Nam me cognorunt sic omnes, patria, ciues,
Finitimi, ut non sim notior ipse mihi.
Hic Lastaurus ego a socijs, dulciq; Lyeo
Heu nimis in sicco contegor ecce loco.
Extinctum fleuit quisquis conuiuia læta,
Teq; Geni assidue, teq; Lyee colit.
Crede mihi Genius diuum lætissimus ante
Interitum large fleuit & ipse merum.

SERAPHINI CYTHAROEDI ET POETAE.

AEterni manes Seraphini & Musa poetæ,
Cuius & elysium nunc stupet ora nemus,
Orpheus atq; noua stupidus testudinis arte
Elabi manibus non sibi sensit ebur.
En tua post obitum cineri tibi fama superstes
Viuit, & ex meritis uenit in ora uirum.
Quæq; potest reges mors tollere sæua, ducesq;
In te nunc uires non habet illa suas.
Nomen Achillini peperit tibi cura perenne,
Quæq; tibi facilis Musa in amore fuit.
Nam quæ cantata est sacris tua Musa poetis
Et tuus æterno carmine uiuit honos.

IN ORATIONEM C. VRSINI VELII.

PAnnoniꝫ fortes, tuqꝫ o fortiſſime regum,
Quorũ fama polos ſyderaqꝫ alta ferit.
Ornati merito ueris & laudibus, & quas
Carpere nequicquã Momus & ipſe uelit.
Vidi ego diuino cum Velius ore diſertus
Funderet in ueſtrum grandia uerba decus.
Attentaſqꝫ aures, & multa ſilentia, linguæ
Dum fauet aſſiſtens maxima turba ſuæ.
Interdum & uoces, nutuſqꝫ, & ſigna probantum,
Quæ uirtus ueſtra expreſſit in eloquio.
Phœbus & auricomũ radiꝫs caput auctus honeſtis
Et toto effulſit clarus in orbe dies.
Sic ueſtro diui atqꝫ homines decori uſqꝫ fauebant,
Aeternum & faueant diꝫqꝫ hominesqꝫ boni.

AD STANISLAVM TVRSONEM Epiſcopum Olomucenſem.

XEnia reſpondi poſcentibus annua multis
Ipſe dabo uobis, cum mihi Turſo dabit.
Conditione fidem facili hanc exoluere poſſum,
Vt nihil iꝫs donem, des mihi Turſo nihil.
Conditione ſed hanc meliore exoluere uellem,
Vt donem iꝫs aliquid, des mihi Turſo aliquid.

EPIGRAMMATVM ET VERSVVM QVI IN AESCHINIS ET DEmosthenis contrarῆs inter ſe orationibus citantur translatio.

ἦμ ἄρα κἀμεῖνοι ταλακάρδιοι ὅι ποτε μήδων
παισὶμ ἐπ᾽ ἰϊόνι σχύμονθ᾽ ἀμφὶ ῥόαϛ
Αιμόντ᾽ αὖθωνα. κρατερόντ᾽ ἐπάγοντες ἄρκα
πρῶτοι δ᾽υσμενέων ἔυρομ ἀμηχανίαν.

HIs etiam intrepido uiguit ſub pectore ſanguis
Qui Medos rapidi Strymonis ad fluuium
Vexatoſque fame, domitos & Marte ſuperbo,
Cedere uirtuti tum docuere ſuæ.

Ἀγεμόνεσσι δὲ μισθὸμ ἀθλωτοῖσι τάδε δῶκαμ
ἀντ᾽ ἐυεργεσίηϛ καὶ μεγάληϛ ἀρετῆϛ.
μᾶλλόμ ἢϛ τάδ᾽ ἰδὼμ ἐπεσομένωμ ἐθελήσῃ
ἀμφὶ ϛωθῖσι πράγμασϊ μόχθομ ἔχειμ.

PRæmia uirtuti egregiæ, pulchroque labori,
Cecropidæ & meritis hæc tribuere ducum.
Poſteritas olim iſta uidens, ſeriique nepotes
Pro patria ut cupiant ſic quoque dura pati.

ἔκ ποτε τῆς δὲ πόλκος ἅμ᾽ ἀτρείδῃσι μενεσθεὺς
ἡγεῖτο ζάθεον ἰωνικὸν ἀμπεσίνον,
ὅν ποτ᾽ ὄμκρος ἔφκ σανανῶν πύκα χαλκοχιτώνων
κοσμήτωρα μάχκς ἔξοχον ἄνσρα μολεῖν.
οὕτως οὐσὲν ἀφκὲς ἀθηναίοισι καλεῖσθ᾽
κοσμκτὰς πολέμοτ᾽ ἀμφὶ ☾ ἀνορέκς.

VRbe olim ex ista Mnestheus comitatus Atri/ (das
Egregius campis dux erat in Phrygijs.
Illum inter Danaum florenteis ære cateruas,
Fortia dum quassat arma tremente manu,
Pulchrum ornamentum belli & uirtute potẽtem,
Diuinus sacro carmine Homerus ait.
Cecropidæ indigni neq; nunc hac laude ferentur,
Belli & uirtutis qui meruere decus.

οἵσε πάτρας ἕνεκα σφετέρας εἰς σκῆρι ἔθεντο
ὅπλα, καὶ ἀντιπάλων ὕβριν ἀπεσκέσασαν
μαρνάμενοι σ᾽ ἀρετῆς ☾ σείματος οὐκ ἐσάωσαν,
ψυχὰς, ἀλλ᾽ ἀίσλω κοινὸν ἔθεντο βράβλω,
οὕνεκεν ἐλλιώων, ὡς μὴ ζυγὸν αὐχένι θέντες
δουλοσύνης συγερὰν ἀμφὶς ἔχωσιν ὕβριν.
γαῖα δὲ πατρὶς ἔχ᾽ κόλτωσις τῶν πλείσα καμόντων
σῶμα τ᾽ ἐωὶ θνητοῖς ἐκ σιὸς κσε κρίσις.
μκσὲν ἁμαρτεῖν ἐσι θεῶν καὶ πάντα κατορθοῦν
ἔν βιοτῇ, μοῖραν σ᾽ οὐκ φυγεῖν ἔπορεν.

OB patriam belli durum in certamen euntes
Obuia dumque ferunt hostibus arma uiri.
Virtutis memores quanquam instantisq; pericli
Fortiter aduerso pugnam iniere deo.
Græcorum pulchra pro libertate cadentes,
Subdere ne turpi fortia colla iugo
Seruitiumq; pati possent, lue fœdius omni,
Fortia quorum almo patria terra sinu
Corpora contumulat, fuit hæc Iouis alta uoluntas,
Bella hominum cuius numine resq; fluunt.
Omnia pro uotis succedere quippe deorum est,
Mortalis nemo fata cauere potest.

Τούς δ' ἀρετῆς ἕνεκα στεφάνοις ἐγέραιρε παλαιχθὼν
Δῆμος Ἐρεχθείδαο, ὅτε ποτε τοὺς ἀδίκοις
θέσμοις ἄρχοντας πρῶτοι πόλεως κατέπαυσαν
ἤρξαν κινδύνων σώματι χαλεπῶν.

CEcropide antiqui ob meritũ uirtutis honoræ
Stare coronatos hos uoluere uiros,
Iniustis ciues qui auersos legibus ausi
Placare, atque ultro dura pericla pati.

Πολλάκι δὲ ξύμπασα πόλις κακοῦ ἀνδρὸς ἐπαυρεῖ
ὄσκιον ἀλιξαίνῃ καὶ ἀτάσθαλα μηχανάαται
τοῖσιν δ' οὐρανόθεν μέγ' ἐπήγαγε πῆμα κρονίων.

λοιμὸν ὁμοῦ ἠδὲ λιμόν, ἀποφθινύθουσι δὲ λαοί
οὐ τῶνγε στρατὸν εὐρὺν ἀπώλεσεν, οὐ τόγε τεῖχος
οὐ νέας ἐν πόντῳ κρονίδης ἀποτίνυται αὐτῶν.

VRbs quoq; tota olim immeritas luit ordine (pœnas
Vnius obnoxam scelerati, & dira merentis
Supplicia, ex alto quibus hæc Saturnius infert,
Pernicies hominũ sæuas pestemq; famemq;,
Vtq; truci intereant bello cum mœnibus ipsis,
Classibus utq; mari plenis mergantur in alto.

Μυρίνου.

Θύρσις ὁ κωμήτης, ὁ τὰ νυμφικὰ μῆλα νομεύων,
Θύρσις ὁ συρίζων πανὸς ἴσον ὀάνακι,
ἔνθ' ὑπὸ πιτυόεσσαν ὑπὸ σκιερὰν ὑπὸ πίτυν εὕδει
φορβεῖ δ' ἀμβὲ ἑλὼν πόιμνια βάκτρον ἔχων.
ἃ νύμφαι, νύμφαι, σὺ διεσσεῖται τὸν λυκοδάρσιν
βοσκόν, μὴ θηρῶν κύσμα γένηθ' ὁ ἔρως.

LAZARVS BONAMICVS BASSIANAS.

THyrsis oues pascẽs nympharũ, Pana uel ipsũ
Thyrsis, arundineis æquiparans calamis
Dormit ad umbrosam pinũ, sumptoq; bacillo
Custodit pingues ipse Cupido greges.

Ah nymphæ, nymphæ paſtorem excite, ferarum
Morſibus ah duris ne laceretur amor.

PHILIPPVS OBERMARIVS.

NYmpharũ cuſtos ouiũ bonus ille Menalcas,
Qui Pana argutis æquiparat calamis.
Ebrius umbroſa proſtat ſub rupe ſoporem,
Atq; greges ſumpto curat amor baculo.
Ah nymphæ ah ueſtro nymphæ depellite ſomnũ
Paſtori, ipſe lupus ne noceat puero.

GEORGIVS LOGVS.

NYmpharũ cuſtodit oues dũ Thyrſis, et ipsũ
Pana deum calamis æquat arundineis.
Effuſum domuit ſub pinu ſomnus opaca,
Cuius amor ſumpto ſeruat oues baculo.
Paſtori ah nymphæ uos ſomnũ rũpite nymphæ,
Ore trucis pereat ne puer iſte lupi.

Λεωνίδου τοῖς ἀγρόταις θεοῖς.

ἄυλιαι, καὶ νυμφέων ἱερὸς πάγος, ἄμβροτον ὕδωρ πέτρᾳ
πίδακες, ἅθ' ὕπνασιν γλυκερὸν σκιόεσσα πίτυς,
καὶ σὺ τερπάλωκι μελοσοιὲ μαιάδος ἑρμᾶ,
ὅς τε βοῶν αἰγιβότων παῖν κατέχεις σκόπελον.

Ἴλαθι τὰ ψαισὰ, δ' τε σκύφθ' ἔμπλεον οἴνης
δέξασθ', ἀτακίδεω δῶρα νεοπτολέμω

AVlæ & nympharum ſacri ſub rupibus altis
Fontes, quæq; undis proxima pinus ades.
Et genite o Maia pecoris fidiſſime cuſtos,
Quiq; tenes capris paſcua Pan ſcopulos.
Propitij uiniq; urnam, dulceſque placentas
Suſcipite Aeacidæ dona Neoptolemi.

Μουσαίου

Κάλλος γὰρ περίπυσον ἀμωμήτοιο γυναικὸς
ὀξύτερον μερόπεσσι πέλει πτερόεντι ὀϊστῷ
ὀφθαλμοὶ δ' ὁδός ἐσιν, ἀπ' ὀφθαλμοῖο βολάων
ἕλκει ὀλιοθαίνῃ κ' ἐπὶ φρένας ἀνδρὸς ὀδεύῃ

INtactæ celebris decor, & bona forma puellæ
Acrior eſt animis hominũ penetrante ſagitta.
Suntq; duces in amore oculi, delabitur inde,
Atque uiri uulnus præcordia ſerpit in ima.

Μουσαίου

γλῶσσα γὰρ ἀνδρώπων φιλοκέρτομθ' ἐνδε σιωπῇ
ἔργον ὅπερ τελέῃ τις, ἐνὶ βιόδοισιν ἀκουῇ.

LIngua hominũ rixas amat, & conuitia, quodq;
Tu ſine teſte facis, compita tota ſonant.

ILLVSTRI PRINCIPI LVDOVICO REGI HVNGAriæ & Bohemiæ filio dilecto Clemens VII. Pont. Max.

CHariſsime in Chriſto fili noſter ſalutem &c. Dilectus filius Georgius Logus Sileſius ſubditus Serenitatis tuæ, cum ad almam urbem, religionis & ueniæ a domino deo conſequendæ gratia, ſe cõtuliſſet, ac propter ingenium & litteras a doctiſsimis huius ciuitatis uiris in honore eſſet habitus, aſtitit etiã coram nobis, ex quo nos præſente, melius quoq; cognouimus, quod ſermonibus multorum ad nos fuerat perlatum, ſummũ in eo eſſe ingenium, ſummum græcarum & latinarum litterarum ſtudium, in quibus adeo nobis profeciſſe uiſus eſt, ut carminibus præſertim pangendis, paucos cuiuslibet ætatis, & noſtro & aliorum iudicio habeat pares. Quodq; nobis mirifice placuit, primariamq; in eo laudem obtinere uiſum eſt, ea pietate eum intelleximus præditum, ut doctrinam ſuam uellet potiſſimum cum dei honore, & cultu ueræ religionis eſse coniunctam. Is nobis narrauit ſe triennium iam in Italiæ Gymnaſijs literis operam dediſſe, adiutum liberalitate, & munificentia Se.

T. q̄ ei annuum ſubſidium ducentorum aureorū conſtituiſſes, gratiſſimoq̄ animo ſeſe opus tuum, & abs te factum eſſe prædicauit. Quod nobis de tua Sere. ſemper optime ſentientibus, auxit etiam opinionem benignitatis tuæ, cum uideremus te id, quod maxime eſt regium, de animandis ad optimas artes his, qui in regno tuo nati ſunt, & cura & ſumptu elaborare. Cū autem is ad Sere. T. rediturus eſſet, etſi ſuperuacuum iudicabamus tibi eū commendare, propterea q̄ ſatis ſua uirtute & tuo in illum iudicio eſſet commendatus, uoluimus tamen has ad te ſcribere literas, quæ pondus haberent potius teſtimonij noſtri, q̄ commendatiōis, ut cum tu tua ſponte ad hunc iuuenem ornandum & fouendum te dediſſes, primum intelligeres præclare abs te & operam & liberalitatem tuā fuiſſe poſitam, magnamq̄ T. Sere. laudem ex eo accedere. Deinde ut noſtra quoq̄ cauſa, qui eum tamen tibi commendamus, eſſes erga eum etiam propenſior. Quod etſi intelligimus te per te fuiſſe facturum, erit tamē nobis pergratū, ut ipſe ſentiat, & re ipſa experiatur, hanc noſtrā cōmendationē nō mediocri illi uſui apud Sere. T. extitiſſe. Quod ut facias eandē Se. T. magnopere in domino adhortamur. Datum Romæ die xxiij. Nouēb. M.D. XXV. Pont. noſtri Anno ſecundo.

Iacobus Sadoletus.

SPECTATISSIMO ET INGENII AC VIRTVTIS LAVDIBVS ornatissimo iuueni Georgio Logo amico præcipuo Lazarus Bonamicus Bassianas salutem.

ETsi mihi propter multas ingenij suauitates discessus tuus superiori tempore parum iucũdus acciderat, tamen in molestia gaudebam, quod te honestam hæreditatem creuisse audiebam. Cum uero nuper ex Adriano utriusq; amicissimo de reditu tuo cognouissem, incredibile dictu est, quãta me hoc lætitia extulerit. Nã cũ eximia spe summaq; uirtute adolescentium frequentia, aliquanto instructior ac ornatior Academia nostra sit, quam eam tu reliquisti, nihil plane aliud quam te desyderare uidebatur, ex cuius ingenio, summam semper gloriã speraui. Quare expectatissimũ scito te ad nos reuersurum. Vale Calen. Martij M. D. XXVI. raptim.

Reuerendissimo domino Stanislao Olomucẽsi Episcopo ex ueteri illa disciplina, innocentia, liberalitate, etiam atque etiam me commendabis, totumq; trades.

PAVLVS IOVIVS STANISLAO TVRSONI EPISCOPO OLOMVCENSI S. D. P.

GEorgius Logus noſter, qui propter nobilitatẽ carminum apud Academicos Romanos per hoſce dies in honore fuit, & a Clemente Pont. max. humaniſsime ſuſceptus eſt, multa apud nos de ſingulari animi tui uirtute prædicauit, ita ut ego non in poſtremis abs te, non modo in gratiam, uerũ & in clientelam recipi uehementer deſyderem. Id ſi pro magnitudine candoreque animi tui feceris, & nos quoque officio non deerimus, teſtabimurque ingenñ monumentis, nos non omnino indignos fuiſſe, qui in patrocinium tuum ultro euntes, in gratiam reciperemur. Spero enim, ſi me commentarii is oportune adiueueris, ut ipſe Logus te facturum pollicetur, patriam tuam Morauiam, quæ quondã Marcomannorũ gentis fuit, in hiſtorñs meis illuſtraturũ, Turſoniſq; nomen & inſigni pietate, & literarũ ſtudñs clariſſimũ, non ſine aliqua ſpe immortalitatis, poſteris cõmendaturũ. Cæterũ Logus adeo nos ſuauiſſimis moribus, elegantiſſimiſq; carminibus cœpit, ut iã illũ tibi maxime inuideamus, cogamurq; illũ ꝓfligato pudore abs te repetere, et

id quidem ſua etiam de cauſa. Nã ſperamus, par/
ta pace optima, eum ſi ad urbem redierit, liberali/
tate æquiſsimi Pontificis, auſpicñſq; Gi/
berti Datarñ aliquo ſacerdotio exor/
natum uidere. Ipſe etiam quibus
nũc curarum fluctibus obrua
mur, cum neque certa pax,
neq; aperte arma tra/
ctantur, longiori/
bus ſermoni/
bus ex/
plica/
bit.
Vale. Romæ,
quinto Idus Ianua/
rñ M. D. XXVI.

PAVLVS IOVIVS STEPHANO BRODERICO S. P. D.

REdit ad uos Logus, nō iam ueſter, ſed iure optimo noſter. Quis enī eo doctior, ſuauior, atq; candidior? ut nō altus in Hercinijs ſaltibus, ſed media in urbe uideatur. Propterea redit igitur certa conditione, ut reuertatur. Nam neq; nos eius deſyderium diu feremus, nec ipſe, niſi ferreus ſit, diutius morabitur, quin reuiſat ſuos ſodales, ſuos patronos Gibertum & Campanum, ſuum deniq; Pontificē maximum, qui eum adeo humaniter ſuſcepit. Viā certe uorabit ſi ſapiet, cum claſsicum defeſsi Martis conticeſcet. Speramus enim parta pace, Clemētem reſtitutum ſibi, camœnas eſse reſpecturū. Tu uero Broderice eum noſtra quoq; de cauſa hominem tibi, mihiq; ob ingenij ſuauitatem coniūctiſsimum liberaliter complexu hylariore ſuſcipies. Vale. Ex urbe, quarto Idus Ianuarij M. D. XXVI.

GEORGIVS SAVROMANNVS SILESIVS STEPHANO BRODERICO SALVTEM.

NOlui committere, clariſs. Broderice, ob inſtitutam nuper illam, ſaneq; arctiſsimam neceſſitudinem, quæ nos perpetuo quodam nexu coniunxit, quin aliquid literarum Georgio Logo utriuſque noſtrum amantiſsimo ad uos redeunti darem, ut tibi uel inde, tametſi longo admodum terrarum interuallo diſiuncti ſumus, liqueret, q̃ penitus te ex animo cõplecti cœperim, quamq; interim tui memores fuerimus, dum nullum hic apud optimos quoſque tui ornandi locum omittimus. Cuius rei facile uel Iouĩ, uel Marſupini literæ teſtes fuerint. Quod & tu iſtic uiciſſim facias te uehementer etiam atq; etiam rogamus. Feciſſe autem id te putabimus, quum G. Logum non ſolum iam ampliſs. ſpei adoleſcentem, ſed & uirtutis & doctrinæ ſpectatiſſimæ, qua potes authoritate iſtic tua iuueris, ne cœptum ſtudiorum ſuorũ curſum ſupremo in ſtadio deſtituere cogatur, neue & ipſe, qui etiamnũ priſtino hic in fortunæ ergaſtulo deſudo, mei aliquando diſsimilis fiam, cum nunquam infelix hoc Siſyphi, quod tot annos in ſurda animorum clau-

ſtra, & in aduerſos purpuratorum ſcopulos moli-
mur, ſaxum cõſtiterit. Facile uero rationibus meis
cõſulueris, ſi regias in mei iſtinc commẽdationem
ad Pont. maximum literas impetraris, a quo ha-
ctenus laudamur quidem, ſed & mirifice algemus,
atq; (ſi dñs placet) eſurimus. Poterit & plurimũ
dignitatis tuæ exiſtimatio apud parentem, qui ſi
ueſtro beneficio ſecundiori flatu utitur, fac quæſo
mihi æquior ſit. Non erimus ingrati, neque regno
indecores. Proſecutus eſt Pont. max. Logum ſum-
mis honoribus, atque inſigni ſapientiſſimi
philoſophi facie, quæ gemma expreſſa.
Rarum opus, præſertim hoc ſæ
culo. Vale. Raptim Romæ
XI. Ianuarij. Anno M.
D. XXVI.

IOANNES ROSINVS.


NEctareos ſuccos Aganippidos Hippocrenes,
Quæ tenero caſtæ ducitis ore deæ,
Queis iuga, queis ſaltus, uirideſq; ſub antra receſſus.
Sunt cordi: & numeris carmina iuncta ſuis,
Dicite, poſt magni felicia fata Philetæ
Callimachi Muſam, Threitiamq; chelim,
Cuiusq̃ quicq̃ ueſtras an alluit aures
Mollius, & ueſtro dignius ore cani,
Carmin e diuini iuuenis, quem Sleſia quondam
Barbara, ſed iam non barbara, terra tulit?
Haud equidem credo, ſiquidem mortalia corda
Hoc nihil hauſerunt mollius, aut melius.
Quod placet hoc ueſtrũ eſt, æquo ſi lumie quenq̃
Reſpicitis, ueſtro digna fauore canit.
Quæ ſuperos tangunt, eadem mortalia mulcent
Pectora, nam noſtri pars quoq; morte uacat.
Liuor edax cohibe furialis uerbera linguæ,
Hæc medio in Latio carmina digna legi.
His tenuit numeris aures, menteſq; Tibullus,
Aeternum his numeris docte Catulle places.
Tu quoq; magno animo pertende, ſuperbia parta
Tot meritis humili te uetat eſſe loco.
Indole nobilius nihil iſta, uera fateri
Si uolo, teutonico grandius ore ſonas.

Illustrès inter numerabere Logē poetas,
Quos gremio fouit Martia Roma suo.

ERRATA.

B 3. *nitro lege uitro.* B 5. Zolcano Zalcano. Laxano Loxano. B 6. *facit. facit.* F 1. Vilio. Iulio. K 4. Omnia. Omina. L 6. *mei. meis.* M 4. *magnæ magne.* M 5. *ad Rosinum. Rosinam.* N 5. *merum. meum.* N 4. βξάβλω. βλάβλω. Eadem θεῷυ. θεῶμ.

VIENNAE PANNONIAE
Hieronymus Vietor Silesius
excudebat Mense Maio
M. D. XXIX.



Georgius Logus

Virtutis monumentum hoc est insigne Logorum.
Marmoreum findit semita ducta solum,
Quod nobis recti stat mens adamantina, quodq;
Pergere nos illa sic iuuat usque uia.


BIBLIOTECA UNIVERSITARIA
JAIME BALMES